F. JOSEPHI-ARCHANGELI
A FRACTA MAJORI
ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

SACRÆ THEOLOGIÆ

SYNOPSIS

AD USUM

CLERICORUM ORDINANDORUM

IN HAC SECUNDA EDITIONE

Diligentius recognita, multisque additionibus aucta, atque illustrata, ita ut non amplius SINOPSIS dici debeat, sed

SACRAE THEOLOGIAE
DOGMATICO=SCHOLASTICÆ

CURSUS

Plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum

TOMUS I.

CONTINENS TRACTATUS

I. DE DIVINA REVELATIONE II. DE TRADITIONIBUS

III. DE CHRISTI ECCLESIA.

NEAPOLI MDCCCXXXI.

EX TYPOGRAPHIA JO: RUSCONI

Via S. Annae Lombardorum N° 37.

Superiorum Facultate.

LECTORI AMICO
AVCTOR
S. P. D.

Iam decimus labitur annus, ex quo Clericorum Studentium utilitati, ac bono, ex animo consulere volens, Opellam Theologicam conscripsi, atque Typis Barnabæ Cons, Neapoli, *edendam curavi, præfixo titulo*: ***SACRÆ THEOLOGIÆ SYNOPSIS*** ad usum Clericorum Ordinandorum; ***meamque rationem, et consilium in ea tum scribenda, tum edenda, satis luculenter expressi in Epistola ad Lectorem amicum, quæ sequens est.***

« ***Miraberis certe, et juste quidem, Lector » amice, miraberis, cur in tanta Librorum, de » Theologicis Disciplinis, redundantia, qua fere » Bibliothecæ opprimuntur, et pauci admodum » sunt, qui eos legant, ego hanc Sacræ Theo- » logiæ Synopsim pubblici juris facere, sim au- » sus; unde nisi me, ingenio veluti destitutum, » irrides, saltem imprudentiæ atque praecipitan- » tiae accusabis. Verum si consilium, et ratio- » nem meam in hac Opella edenda perpendes, » confido fore ut, si non laude, saltem excusatione » dignum, me existimes. Cogitanti enim mihi, et » animo sæpe sæpius volventi, quo tandem cru- » deli fato (si ita loqui fas sit) evenire, ut ex***

» *tam multis Clericali militiæ adscriptis*, (*qui-*
» *bus Theologiæ studium est necessarium quam-*
» *quodmaxime*), *qui Theologicis facultatibus*
» *incumbunt*, *admodum pauci sint*, *qui post*
» *laborem trium*, *vel quatuor annorum*, *Theo-*
» *logico pulvere aspersi*, *paucissimi adeo*, *qui*
» *sacra facultate sufficienter instructi videan-*
» *tur*, *ut numerari*, *et veluti digito demon-*
» *strari possent*, *illud mihi comperire visum*
» *fuit*, *hoc evenire*, *vel* 1. Ex mentis imbecilli-
» tate, *qua fit*, *ut non omnes ad stuadia Theo-*
» *logica sint æqualiter apti*; *vel*. 2. Ex laboris
» impatientia, *qua fit*, *ut juvenes*, *licet ingenio*
» *præclari*, *ab lectionum prolixitate*, *tædio af-*
» *fecti*, *aut librorum nimia mole perterriti*,
» *studio valedicant*; *vel tandem* 3. Ex studio-
» rum perturbatione, vel Magistrorum mutatio-
» ne, *qua fit*, *ut juvenes vel eadem a diversis*,
» *et diverso stylo audiant*, *vel dimidiate*, *et*
» *partim ab uno*, *partim ab alio percipiant*;
» *adeo ut eveniat quandoque*, *integrum elabi*
» *quadriennium*, *quin pauci saltem Tractatus*
» *integre sint absoluti*, *et forsan in pluribus*
» *quoque deficientes*, *atque interpolati*; *idque*
» *quo juventutis præjudicio*, *Deus scit. Porro*
» *huic malo*, *quantum ex me est*, *occurrere vo-*
» *lens*, *in eo curam cogitationemque converti*,
» *ut opus Theologicum invenirem*, *quod foret*
» *nostri temporis juventuti accomodatum*; *fa-*
» *cile nempe*, *et breve*; *nec tamen robore*, *aut*
» *necessariis cognitionibus orbatum*, *et quan-*
» *tum fas esset*, *sufficienter completum*, *ut sic*,
» *omnes*, *sive ingenio rudes*, *sive præclari*,
» *semper*, *et uniformiter*, *et integre totum*

» *Theologicum cursum absolverent. Plures In-*
» *stitutiones Theologiae ad manus habui, a di-*
» *versis, atque probatissimis Theologis conscri-*
» *ptas; plura horum, vel aliorum Doctorum*
» *Theologiae Compendia reperi, bona quidem*
» *in genere suo, at intentui meo parum con-*
» *sona; quippe hæc nimis contracta, et pa-*
» *rum, aut nihil solidi continentia, illæ ni-*
» *mis prolixae, atque proinde, non omnium*
» *ingeniis aptae. Quid igitur? Ut Clericis prae-*
» *sertim, qui sacris initiandi sunt, opem fer-*
» *rem, eisque examen subeundum facile red-*
» *derem, statui, Dei auxilio fretus, novam*
» *Theologiae Opellam conscribere, quae nec*
» *nimis contracta et brevis foret, ut Clericos*
» *in rebus Theologicis jejunos relinqueret, nec*
» *nimis prolixa, ut vel ipsos subtili ingenio*
» *praeditos exanimaret, sed medium iter te-*
» *neret. Quod et hac mea* Sacrae Theologiae
» Synopsi, *quam offero, an sim assequutus,*
» *judicio Sapientum relinquo. Hoc unum, quin*
» *advertam relinquere non possum, amice Le-*
» *ctor; me nempe in seligendis Tractatibus, et*
» *Quaestionibus (magna et parte) sequutum fu-*
» *isse Elenchum a* R. P. Philippo a Carboneano,
» *viro sane in Sacra facultate versatissimo, com-*
» *positum, a* Pontifice Benedicto XIV. (*rescripto*
» *12. Septembris 1757.*) *approbatum; et a* Re-
» verendissimo P. Clemente a Panormo *Ministro*
» *Generali totius Ordinis S. Francisci, in Actis*
» *Capituli Murciensis; omnibus Sacrae Theo-*
» *logiae Lectoribus ordinatum. Haec porro tota*
» *Theologiae Synopsis tribus Tomulis absol-*
» *vetur. Quibus, ut Clerici Ordinandi, facilius*

» *examen Ordinariorum, ut dixi, sustinere pos-*
» *sint, quartus, Deo dante, adjungetur, in quo*
» *praeter peculiare Tractatum de Sacris Or-*
» *dinibus in genere, et in specie, interroga-*
» *tiones omnes, et objecta continentur, qui-*
» *bus apprime responsa, suis numeris in toto*
» *opere extensa, respondent, ita ut dici pos-*
» *sit, Synopsim hanc, simul Methodo Schola-*
» *stica, et Socratica, vel ad modum dialogi,*
» *esse conscriptam. Haec mea mens fuit, hoc*
» *meum consilium in hac Opella edenda. Si*
» *quid mali in ea reperies, rogo inbecillitati*
» *meae tribuas, unde et benigniter aut compa-*
» *tiaris, aut corrigas. Si autem quid boni,*
» *illud Deo tribuas, a quo bona cuncta pro-*
» *cedunt. Quod ad me attinet, omnia mea di-*
» *cta, et exposita, S. Romanae Ecclesiae in-*
» *fallibili judicio, integre submitto, cujs me*
» *filium esse, maximopere gestio.*

Grates Deo, sicuti erat in votis, ita factum est, immo felicem exitum hujusmodi mei laboris, vel ipsam expectationem meam vicisse, laetatus sum. Statim enim ac dicta Synopsis in manus Clericorum studentium pervenit, quod nescio qua de re, ipsi claritate, aut brevitate delectati, Sacrae Theologiae studium diligere coeperunt, illudque haud difficile amplius apprehendere, quod antea vel ipsos ingenio praestantes, solo nomine, terrore afficiebat, prosternebatque. Hinc facillima reddita sum examina coram Episcopis pro Ecclesiasticis Ordinibus suscipiendis subeunda. Hinc plana, facilis, atque aperta effecta est via ad Sacrae Theologiae Cathedram, praevio concursu obtinen-

dam, pro studiis tam Provincialibus, quam Generalibus. Hinc e Scholis exul effecta Babelica illa confusio, quae antea juvenum miserrime torquebat ingenia. Hinc juvenes, licet ingenio rudes, Theologicis cognitionibus sufficienter imbuti. Hinc tandem studentes, qui brevi tempore, omnes Sacrae Theologiae Tractatus absolverint, immo tam feliciter memoriae commiserint, ut quoties opus fuerit, eos ad literam quoque recitare possint.

Quoniam vero Synopsis ista mea, eo potissimum consilio exarata fuit, atque in lucem edita, ut Clericis tardioris ingenii auxilio esset, utique sufficiens esse non poterat, et aequaliter prodesse Clericis omnibus Sacrae Theologiae studentibus, illis praesertim, qui ingenii praestantia pollent, ut integrum Sacrae Theologiae Cursum, in Gymnasiis nostris, quatuorannorum spatio, absolvendum consumarent. Hinc in Studiis primæ classis potissimum, Theologiæ Lectores Generales in ea fuerunt necessitate, ut vel omnino usum Sacrae Theologiae Synopsis abjecerint, vel si adoptaverint, debuerint scripto supplere, quae ad integrum Cursum absolvendum deficere visa sunt. Atque en iterum invecta in Scholis manuscripta, quae pro Lectorum, et Magistrorum, in diversis Studiis diversitate, varia, atque diversa, temporis decursu, quam confusionem parere possent, nemo sane non percipit; jamque ego ipse, utpote Studiorum præfectus, experientia cognovi. Quapropter rem studentibus omnibus utilissimam, Lectoribus autem Sacrae Theologiae maximopere gratam facturum judicavi, si praedictam Sacrae Theo-

logiae Synopsim eo usque augerem, ut quadriennio ad integrum Theologicum Cursum explendum sufficeret, quin opus esset ad manuscripta denuo recurrere. Hinc quod a reliquis necessariis occupationibus supererat temporis, in hoc Opus impendi, eo quidem successu, ut in hac Editione non simplicem Synopsim, sed integrum Sacrae Theologiae Dogmatico=Scholasticae Cursum et Lectores, et studentes habeant, sex parvis Tomis comprehensum, quibus et septimus adjungetur pro examine Ordinandorum. Quoniam vero Clericorum utilitati, ac commodo consulens, quae ad puram Theologiam Moralem pertinent, ab illis, quae Theologiae Speculativae, et Theoreticæ, ut ajunt, propria sunt, segregavi, ea scorsim duobus aliis parvis Tomis contenta, Deo adjutore, et quidem juxta laudabilem probatissimamque Academiae Neapolitanae Methodum, in lucem proferam.

Ne vero quis putet, in Scyllam me incidisse, dum vellem vitare Caribdim; nempe quod dum consulere voluerim studentibus etiam praeclari ingenio, oblitus fuerim juvenum tardioris ingenii, pro quorum adjutorio, atque utilitate ad scribendum me primitus induxi, animadverto, praesentem Sacrae Theologiae Cursum, qualem exhibeo, adeo esse auctum, ut ab omnibus commode exequi possit. Quod si Clerici inveniantur, qui ad illum absolvendum idonei non sint, Sacrae Theologiae Lectorum, atque Magistrorum cura erit, illis providere, prout utilius in domino expedire videbitur. Quare serio monemus Lectores, ut in proprio munere obeundo meminerint, non

omnes Clericos studentes, ipsorum curae commissos, eadem a Domino talenta accepisse, sed alii plura, alii pauciora; aliunde se debitores omnibus esse Sapientibus, atque insipientibus. Satagant proinde singulorum talenta perpendere, et secundum gratiam, quae unicuique ipsorum a Deo data est, eos erudiant: sumant materiam singulorum viribus aequam; et diu versent, quid singulorum humeri valeant, quid ferre recusent; invenient juvenes ingenio preclaros? integrum hunc S. Theologiae Cursum eis explicent prout jacet; eosque Scholasticis disputationibus, defendendo, atque argumentando, sepius qua fieri potest, exerceant; lectiones proinde longiores eis assignent, et ab eis rigorose, atque adamussim edoctas exigant. Invenient vero juvenes mediocis ingenii? Cum illis charitative, et prudenter se gerant, animadvertentes quam gratum sit Deo, quam Religioni decorum erudire imperitos, eosque idoneos reddere, qui Ecclesiasticae Hierarchiae mereantur adscribi. Non sunt ergo illi tali ingenio praediti, ut valeant integrum Theologiae Cursum persolvere? Patientiam habeant ineos, et repetant ab eis tantum principia, et demonstrationes propositionum, omissis adversarium oppositionibus cum responsionibus, vel saltem quae in Sacra facultate Dogmata respiciunt, illos edoceant. Satius enim est, ut illi aliqua, licet pauca, ediscant bene, atque memoriae teneant, quam multa, quae et non satis intelligunt, et facilius obliviscuntur. Quod si ipsis melius videbitur, studio sacrae Theologiae Moralis omnino eos addicant, quod cum sit rudio-

ribus ingeniis magis accomodatum, in illo proficere poterunt; atque ita fiet, ut si ad munus alios edocendi apti non sint, idonei saltem evadant, qui Paenitentiae Sacramentum rite administrare valeant; neque in numero illorum habeantur, qui indocti penitus, veluti Sacerdotio indigni, ab Ecclesiastica Hierarchia repelluntur.

Atque en omnibus Clericis, sive ingenio praeclaris, sive rudibus hoc Theologiae Dogmatico-Scholasticae Cursu, opportune provisum. Utere ergo, Lector amice, labore qualicumque hoc meo; meique in tuis orationibus ad Deum, memento. Vale.

SACRÆ THEOLOGIÆ
DOGMATICO—SCHOLASTICAE
PROLEGOMENA

Q. *Quid sit Theologia secundum nomen; quid secundum propriam naturam spectata?*

§. 1. R. Theologia, si nominis vim spectes, non est aliud, quam *sermo*, vel *discursus de Deo*. Derivatur enim ejus nomen a duobus grecis vocabulis, *Theos*, idest, *Deus*, et *logos*, vel *logia*, idest *sermo*. Si vero eam, secundum propriam naturam, atque indolem spectes, recte dici potest: *Dei, rerum divinarum, earumque, quæ ad supernam hominis felicitatem pertinent, disciplina, et scientia?*

Q. *Quotuplex sit Theologia?*

§. 2. R. Quoniam vel solius rationis naturalis ductu, vel supernaturalis luminis auxilio, de Deo sermonem instituere possumus, hinc Theologia alia est *Naturalis*, *Supernaturalis* alia, vel *Revelata*. *Theologia naturalis est illa, quæ solo humanæ rationis lumine, de Deo, rebusque divinis pertractat. Supernaturalis* vero, sive *Revelata, est illa, quæ Dei verbo innixa, Deum, ejus Essentiam, Attributa, nec non incomprehensibilia Mysteria, et modum insuper æterna beatitudine fruendi, tradit.* Atque illa proprie Philosophorum est, hæc Theologorum. Quare de ista, in presenti Opere, erit semper sermo noster.

Q. *Quotuplex sit Theologia supernaturalis?*

§. 3. R. Theologia supernaturalis, ratione diversi modi, quo comparatur, alia est *Beatorum*, *Viatorum* alia; et hæc insuper, vel *infusa*, vel *acquisita*. *Theologia Beatorum est clara, et intuitiva Dei,*

rerumque divinarum, *per lumen gloriæ*, *cognitio. Theologia Viatorum infusa est illa*, *quæ homini*, *in hac vita existenti*, *per species obvenit*, *notionesque ipsi a Deo infusas*: Talis fuit illa, qua præditi fuerunt Christi Domini Discipuli, post adventum Spiritus Sancti, qui cœperunt loqui magnalia Dei. Talis quoque fuit Theologia illorum omnium, qui esto literaturam non cognoverint, fuerintque in se pene rudes, ac Scholas, et Lycea, ne quidem a limine salutaverint, de Deo nihilominus, rebusque divinis adeo profunde, et subtiliter disputarunt, ut vel ipsi Sapientes, doctioresque Theologi in admirationem maximopere raperentur. *Theologia* vero *Viatorum acquisita*, qualis nempe ab hominibus communiter comparatur, proprie loquendo, *Est quædam de Deo*, *rebusque divinis*, *ex principiis revelatis*, *et Verbo ipsius Dei sive scripto*, *sive tradito*, *creditis*, *discursiva cognitio*, *et scientia*.

Q. *An Theologia sit scientia?*

§. 4. R. Scientia quidem, at non stricte, et in rigore, sed lato sensu. Esto namque Theologia sit cognitio certa, immo certior quacumque alia cognitione, quia innititur Verbo Dei; adeoque, *multo certior est homo*, ait S. Thomas (Art. 2. ad 2.) *de eo quod audit a Deo*, *qui falli non potest*, *quam de eo*, *quod videt propria ratione*, *quæ falli potest*; deest tamen ei evidentia, quæ necessario requiritur in scientia rigorose, et proprie dicta. Negari tamen nequit, Theologos perspicue videre conclusiones, quas inferunt ex articulis revelatis, certo, ac necessario ex eis sequi; Sed hæc evidentia est *formalis*, et *consequentiæ*, ut aiunt: evidentia scilicet connexionis, quam conclusio habet cum suis principiis, non autem evidentia *materialis*, et *consequentis*; evidentia nempe principiorum, ex quibus infertur conclusio. Principia namque Theologiae propria, sunt propositiones divinitus revelatæ, et divinitus creditæ, non evidenter cognitæ.

Q. *An Theologia sit scientia speculativa, vel potius practica?*

§. 5. R. Quænam scientia sit Theologia, speculativa ne, an practica, non conveniunt inter se Theologi. Quidam cum Henrico (In Sum: art: 9.) volunt, eam esse scientiam pure speculativam. Alii cum Joanne Duns Scoto subtili nostro Præceptore (Q. IV. Prol: n: 33.) defendunt, eam esse simpliciter, et absolute practicam. Alii tandem cum Doctore Angelico (P. 1. q. 1. art. 4.) existimant, eam esse formaliter, partim speculativam, et partim practicam, magis autem speculativam, quam practicam. Quod attinet ad me, practicam potius eam sustineo, quam speculativam. Nam etsi Theologia, veritatibus speculativis, et practicis constet, ut propterea scientia partim speculativa, et partim practica dici possit, adhuc tamen, simpliciter practica dicenda est. Et sane, quæ in ea speculative traduntur, non in sola Dei, rerumque divinarum mera speculatione, et contemplatione se sistunt, sed omnia ad praxim ordinantur, ad Deum nempe diligendum, et colendum. *Constat profecto, ait S. Augustinus* (De cogn: veræ vitæ), *naturam rationalem ad hoc solum factam, ut factorem suum verum intelligat, intelligendo diligat, diligendo, in eo, qui est æterna vita, æternaliter beate vivat. Divinitatis ergo essentiam rationabiliter investigare, est ad æternum vitam festinare.* Hinc Evangelista Ioannes (Cap: XX.) *Hæc: scripta sunt*, inquit, *ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*; his verbis ostendens, divina mysteria, quae sunt Theologiæ nostræ principia, non ideo litteris fuisse exarata, ut Deum, ejusque perfectiones, et operationes investigaremus acutius, et subtilius explicaremus; sed ut eum agnoscentes, amaremus ardentius, et promptius, ac ferventius in omnibus ei famularemur. Quare non

immerito laudatus S. Doctor (Lib. XIV. de Trin: C. 2.) Sacræ Theologiæ tribuit illud: *quo fides saluberrima ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Quapropter jure, meritoque scientia practica simpliciter dicenda est Theologia.

Q. *Quotuplex sit cujuslibet scientiæ, et præcipue Theologiæ objectum?*

§. 6. R. Quoniam Theologia est scientia, propterea suum habet objectum; nempe id, circa quod occupatur. Duplex autem distinguitur cujuslibet scientiæ objectum; *materiale* scilicet, et *formale*; atque formale item, aliud dicitur *formale quod*, ut loquuntur Scholæ, aliud *formale quo*. Objectum materiale scientiæ est res ipsa, circa quam scientia versatur. Objectum formale est formalitas, sive ratio, quam scientia in objecto materiali attingit, sibique illud per eam considerandum determinat. Objectum formale *quod* est ratio, per quam objectum totale continet virtualiter omnia, quæ in scientia, sive disciplina tractantur, et per quam ad illud reducuntur; illud autem, ulterius ad alterum non ordinatur. Objectum formale *quo*, est motivum, seu medium, per quod scientia, seu disciplina objectum sibi proprium attingit. Objectum itaque materiale Theologiæ, sunt *Deus* ipse, et res, quæ ad Deum aliquo modo referuntur. Circa hæc siquidem tota Theologia occupatur. Objectum vero formale Theologiæ, est *Deus ut Deus*, seu ipsa *Divinitas*. Nam *Divinitas*, sive *Deitas* est forma, et ratio, quam quærit, et attingit Theologia in objecto materiali. Objectum formale *quod* Theologiæ, est etiam ipsa *Deitas*. Etenim omnia, quæ traduntur in Theologia manant a *Deitate*, veluti a fonte, et radice, et ad ipsam reducuntur; ipsa autem ad aliud, ulterius non refertur. Objectum tandem formale *quo* Theologiæ, est *virtualis*, ac *mediata* revelatio; siquidem medium, sive motivum, per quod Theologia attingit suum

objectum, idest *divinitatem*, est virtualis, ac mediata revelatio.

Q. *Quo modo dividatur Theologia, ratione Methodi, qua pertractatur?*

§. 7. R. Theologia esto in seipsa sit una, eadem, atque indivisa, ratione tamen diversæ Methodi, qua pertractatur, varie dividitur; sed præcipue in *Positivam*, et *Scholasticam*. Positiva est illa, quæ suas conclusiones, discurrendo, probat per principia positiva, quæ non probantur, sed supponuntur, atque creduntur; qualia sunt, quæ desumuntur ex Scriptura Sacra, vel ex Traditione Divina, vel Apostolica, nobisque per Ecclesiam proponuntur. Scholastica, eadem est in re, idemque præstat ac Positiva, majori tamen Methodo; videlicet accuratius, subtilius, et ad artis Dialecticæ criticæ syntheticæ regulas propius accedens, Fidei Dogmata proponit, atque probat.

Q. *An utraque Theologia, Positiva nempe, et Scholastica aliis nominibus appellari soleat?*

§. 8. R. Affirmative. Et quidem appellatur *Dogmatica*, si ex tota materia Theologica ea solum excerpuntur, quæ certa Fide credenda sunt; in doctrinæ corpus reducuntur, atque argumentis firmissimis constabiliuntur. 2. *Polemica*, seu *Elenchica*, si Fidei Dogmata, atque infallibilis Ecclesiæ Romanæ Decreta, adversus Religionis hostes, atque hæreticos defenduntur, et muniuntur. 3. *Moralis*, si ex iisdem Codicibus Sacris, vel Traditionibus, Canones, et præcepta colliguntur, ad quorum normam actiones nostras componimus. 4. tandem appellatur *Ascetica*, sive *Mystica*, si viam sternit, ut in virtutibus magis, magisque in dies proficiamus, atque affectus omnes nostros, ad Deum diligendum, referamus.

Q. *Theologia Positiva extitit ne semper?*

§. 9. Theologia Positiva semper extitit. Etenim ex veritatibus expresse revelatis, multa inferebant;

nedum Patres, et veteres Theologi, sed ipsemet Christus, et ipsius Apostoli. Christus enim, ex Scripturis, argumentando, suam adversus Iudæos, probavit Divinitatem. Admittebant Iudæi, Christum esse filium David; ut ergo Christus suam probaret Divinitatem, posito Davidis textu (Psal: 100:): *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, sic eos perstringit (Mat: XXII. v. 45.): *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* D. Paulus (II. Cor. V. v. 14.), ex quo, Fide certum sit, Christum pro omnibus, mortem subiisse, concludit: *Ergo omnes mortui sunt.* Patres quoque, ex verbis Domini apud Ioannem (Cap: XV. v. 5.): *Sine me nihil potestis facere*, concludebant, gratiam Dei esse necessariam ad singulos pietatis actus, etiam ad Fidei initium habendum, contra ac docebant Palagiani.

Q. *Quid dicendum sit de Theologia Scholastica?*

§. 10. R. Teologia Scholastica non semper extitit. Nam ut communiter tradunt Historici, Theologia ad Methodum Scholasticam primo redacta fuit a S. Ioanne Damasceno, initio sæculi VIII. in quatuor illis Libris, quos *De fide Orthodoxa* inscripsit: a Petro autem Lombardo Episcopo Parisiensi, apud Latinos introducta fuit, percelebri illo Opere, quod *Quatuor libros sententiarum* nuncupavit; et a quo MAGISTER SENTENTIARUM fuit ipse vocatus.

Q. *An Theologia Positiva sit necessaria?*

§. 11. R. Theologia Positiva non est omnibus, et singulis fidelibus simpliciter, et absolute necessaria, sed toti Ecclesiæ. Nam multi rudes, atque indocti, quin Theologiam didicerint, quia Fidei articulos firmissime credunt, et bona opera faciunt, salutem consequuntur æternam, juxta illud S. Marci (Cap: XVI. v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; aliunde distinguens Apostolus in Ecclesia singulorum fidelium officia: *Numquid*, ait (I. Cor. XVI.), *omnes Apostoli. Numquid omnes Doctores?* At non

sic de tota Ecclesia. Ipsi namque est summe necessaria Theologia Positiva. Revera in Ecclesia, oportet sint Episcopi, et Doctores, qui *potentes sint exhortari fideles in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere*: (*ad Tit.* 1.): quod certe sine Theologia consequi nequit.

Q. *Sit ne necessaria Theologia Scholastica?*

§. 12. R. Quod attinet ad Theologiam Scholasticam, esto ea, strictim toti Ecclesiæ necessaria dici nequeat, cum per plura sæcula, quin fuerit exculta, Fidei veritates constabilitæ fuerint, redarguti contradictores, hæreses interemptæ, atque victrix Ecclesia, adversus Inferi portas semper extiterit; est tamen, omnium eruditorum sententia, ipsi Ecclesiæ utilissima. Per eam quippe Hæretici, atque Pseudo-Catholici efficacius profligantur, et Catholicæ veritates firmius stabiliuntur.

Q. *Quid sint Loci Theologici?*

§. 13. R. Sicuti omnis scientia, ita et Theologia suos habet locos; *fontes nempe, atque veluti promptuaria, ex quibus, et ad id quod asseritur demonstrandum, et ad id, quod falsum est, refellendum, varia argumentorum genera derivantur.*

Q. *Quot sint Loci Theologici?*

§. 14. R. Loci Theologici decem vulgo numerantur, inter quos alii sunt *interni*, ex quibus Theologia, argumenta certa desumit; alii *externi*, ex quibus argumenta solum probabilia haurit. Loci interni sunt sex, qui sequuntur, videlicet 1. *Sacra Scriptura*; 2. *Traditio*; 3. *Ecclesia*; 4. *Judicium Romani Pontificis*; 5. *Concilia*; 6. *Sanctorum Patrum auctoritas*. Extrinseci autem sunt quatuor sequentes: nempe 1. *Auctoritas Scholasticorum*; 2. *Rationis naturalis argumenta*; 3. *Auctoritas Philosophorum*; et 4. *Historia humana.*

Q. *Quænam requirantur in eo, qui ad Sacræ Theologiæ studium, vult animum adjungere?*

§. 15. R. Plura, inter quæ præcipua sunt:

I. *Puritas conscientiæ* a mortifera labe peccati : scriptum est enim (Sap: I. v. 4.) : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Cujus defectu, scribit S. Chrys: (Tom: II. in Mat. 8. 9.) « Homines Christiani denegant veritatem, qui Scripturas portant in ore. » Non quia obscura sunt, aut profunda Mysteria » veritatis . . . sed quia perversa sunt corda eorum, » et ubi non quiescit spiritus veritatis, veritas fugit » ab eis ». Hinc legitur (Prov. I. v. 7.) : *Timor Domini principium sapientiæ.*

II. *Humilitas cordis.* Nam ubi est humilitas, ibi est Sapientia. Hinc primam lectionem, quam Christus, et ut exemplar, et uti Magister omnium, suos docuit Apostolos, non alia fuit, quam humilitatis, dicens (Matt: XI. v. 29.): *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* Et Deo Patri gratias agens (Ib: v. 25.), *ait Confiteor tibi Pater domine Cœli, et Terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis*; idest Apostolis idiotis, et humilibus.

III. *Assidua, et fervens ad Deum oratio.* Nam cum Deus sit scientiarum Dominus, atque distributor (1. Reg: 2. v. 3.); *Si quis indiget sapientia*, ait S. Jacobus (Cap: 1. v. 5.), *postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.*

IV. *Devotio vera, et filialis erga Virginem Mariam.* Cum namque ipsa, utpote Deipara, sit sedes sapientiæ, atque Apostolorum Magistra fuerit, patrocinio suo efficiet, ut Filius suus, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, det Studentibus intellectum bonum ad cognoscendum, et igne sui amoris accendat corda ipsorum, ut charitate inflammati, diligentiores, ferventioresque, in dies, evadant in Sacræ Theologiæ studio; sicque digni efficiantur obtinere, ut non solum non vituperetur ministerium ipsorum, sed parati sint

semper ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est spe (I. Petri 3.); potentes insuper exhortari omnes in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere.

V. Tandem: *finis rectitudo.* Ut scilicet in Sacræ Theologiæ studio, nullum alium finem sibi proponat juvenis studens, quam rectum, et sanctum; cognoscendi nempe Deum, ut eum semper plus diligat, eique placeat, et ab eo vitam æeternam obtineat; Theologiam namque practicam potius diximus (§. 5.), quam theoreticam. *Sunt qui scire volunt*, ait S. Bernardus (Serm. XXXVI.), *eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. . . . Et sunt item, qui scire volunt ut scientiam suam vendant, verbi gratia pro pecunia, pro honoribus, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, et charitas est; et item qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant.*

TRACTATUS I.

De Divina Revelatione Sive De Verbo Dei Scripto.

§. 1. Cum Theologia universa Verbo Dei sive scripto, sive tradito, firmissimo veluti fundamento potissimum innitatur (§. 3.); Cumque Verbum Divinum, nonnisi revelatione haberi possit, ordinis ratio postulat, ut a Tractatu de Revelatione Divina, et primum a Verbo Dei scripto, hic Theologiæ nostræ Cursus sumat exordium. Atque ut omnia, recta Methodo procedant, Tractatum hunc, undecim Capitibus dabimus absolutum; 1. quorum erit: *De neces-*

sitate Doctrinæ revelatæ; 2. *De Divinæ Revelationis existentia, ejusque characteribus*. 3. *De Dei veracitate*; in quo nempe expenditur: utrum Deus per se, vel per alium mentiri possit; 4. *De veris miraculis, et num fieri possint in confirmationem falsæ doctrinæ*. 5. *De variis Religionibus*, in quo examinabitur: an in sola Chisti Religione motiva credibilitatis reperiantur. 6. *De Divina Revelatione Literis consignata; et de Libris, quibus eam contineri credimus*. 7. *De genuitate Pentateuchi*. 8. *De aliorum Librorum, tum Veteris, cum Novi Testamenti genuitate, veracitate, atque Divinitate* 9. *De Sacrorum Librorum sive Veteris, sive Novi Testamenti integritate*. 10. *De inspiratione Librorum Sacræ Scripturæ; deque lingua, qua scripti fuerunt, et variis Scripturæ Versionibus*. 11. *De Sacrarum Scripturarum claritate, atque obscuritate, deque variis ipsarum sensibus, et facultate tradendi verum, atque germanum Sacræ Scripturæ sensum*.

Et hæc quidem clariori, qua fieri poterimus ratione explicabimus, ambagibus, tricisque rejectis.

CAPUT I.

De necessitate Doctrinæ revelatæ.

§. 2. *Def.* 1. *Revelatio est rei occultæ et incognitæ detectio, et manifestatio. Doctrina itaque revelata*, nihil est aliud, quam: *Summa veritatum occultarum, et incognitarum, quas Deus, sive immediate per seipsum, sive mediate per alios, dignatus est hominibus manifestare, tum ut ipsum, quantum in hac vita opus est, cognoscant; tum ut recte agant, eique debitum cultum, et reverentiam præstando, placeant; placentes vero, ad ipsum in Coelis perveniant.*

§. 3. *Schol.* Hominem non in eodem statu, in quo conditus fuit primitus a Deo, permansisse, res

est apud Catholicos penitus explorata. Quare in duplici statu homo debet considerari; In statu nempe *Naturæ integræ*, in quo Adam primus homo a Deo conditus fuit, et in statu *Naturæ corruptæ*, in quo nunc est, post Adæ lapsum.

§. 4. *Def.* 2. *Status Naturæ integræ est ille, in quo ratio plene Deo erat subjecta; et sensus, et appetitus rectæ rationi subjiciebantur.*

§. 5. *Schol.* Porro quæ, et quanta fuerit in eo statu hominis felicitas, atque jucunditas, paucis complectitur S. Augustinus (Lib: XIV. de Civ: Dei Cap: 26.): *Vivebat homo in Paradiso sicut volebat, quamdiu volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla ægestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus ne sitiret: lignum vitæ ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore illas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta etc.*

§. 6. *Def.* 3. *Status Naturæ corruptæ est ille, in quo humana ratio ab appetitu, et sensu illecta, dissentit ab incommutabili ratione; et sensus, et appetitus adversantur rationi.*

§. 7. *Schol*: In hoc statu, hominis vitam innumeris calamitatibus, atque miseriis plenam esse, quisque mortalium in seipso, et in aliis constantissime experitur, ut merito dixerit laudatus Augustinus (Lib: XXII. de Civ: Dei C. 22.). *Omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita*

dicenda est, tot, et tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ; ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit. Quid amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, et ex hoc mendaces curæ, perturbationes mærores, formidines; insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia; hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentia, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vita hominum non recedit?

§. 8. *Def.* 4. *Finis ultimus ille dicitur, ad quem, omnia, quæ recte fiunt reducuntur, ipse vero ad nullum aliud referri potest.*

§. 9. *Coroll.* Finis ergo ultimus hominis non sunt præsentis vitæ bona; hæc namque fælicitatem veram non pariunt, et si æternae fælicitati comparantur, veluti fumus et umbra, non solum evanescunt, sed et veram miseriam esse, atque spiritus afflictiomem apparent, et sunt. Ultimus finis hominis nec est alius, neque alius esse potest, quam Beatitudo æterna, quæ in clara Dei visione, et possessione, tota consistit; unico verbo, Deus est; ad Deum namque omnia, quae recte fiunt reducuntur, ipse vero ad nullum aliud referri potest. Nam ipse est verum bonum, totum bonum, unicum bonum, sine quo nihil est bonum, et praeter quem, bonus alius melior, aut aequalis dari

nequit. Deus plene complet hominis desideria, et cor illius complete satiat; ita ut sicuti cor hominis irrequietum est, donec ad Deum perveniat; ita statim ac Deum assequitur, perfectissime in ejus fruitione conquiescit. At consequi ne potest. finis ultimus ejusmodi ab homine, solo rationis naturalis lumine, et quidem in praesenti statu naturae lapsae; an vero necessaria est ad id doctrina revelata?

Dissidium adest inter Auctores.

§. 10. Praeter veteres quosdam Philosophos Ethnicos, quibus se adjunxere Sociniani, ex recentioribus inter Acatholicos, Revelatae doctrinae necessitatem impugnaverunt Naturalistae, seu Deistae, solam rationem naturalem sufficientem homini esse ad suum ultimum finem assequendum, asserentes. Ac inter eos, omnium primus, publice signum apud Anglos erexit Tindall, edito libro: *Christianismus tam antiquus, quam Creatio.* Ipsum postea sequuti sunt Collinius, Wollastonius, Uriel Acosta, ex Christiano Iudaeus, et ex Iudaeo Deista factus, Rousseau, Voltaire, aliique, quorum, hodie infinitus fere est numerus. Verum contra eos stant, nedum Theologi omnes, sed et cordatiores Philosophi. Cum quibus et nos.

§. 11. *Hypoth*: Atque ne in vacuum laboremus, et quae dicturi erimus, firmius stabilita maneant, supponimus in sensu adversariorum, sola naturali ratione, posse praestari id omne, quod nos dicimus, revelatione homini, praestitum esse; unus namque est Deus auctor tum Naturae, tum gratiae; Quae ergo homini, dicimus nos, jam Deum revelasse, ut suum ultimum finem consequeretur, eadem, sola ratione naturali, potuisse homini innotescere, seclusa revelatione. Cum ergo revelatione jam constet, hominem ad assequendum suum ultimum finem, indigere Fide, et

operibus ; nempe cognoscere Deum, corde credendo, et ore confitendo, Deum esse unum in Natura, Trinum in Personis, nempe Patrem, Filium, et Spiritum S. Verbum Divinum, pro salute humani generis, humanam carnem in Virginis utero assumpsisse, mortemque in ligno Crucis subiisse ; et alia hujusmodi. Insuper sola ratione, ut recte operetur, deberet ei innotescere, sicuti jam nobis revelatione innotescit, quis cultus Deo debeatur ; quibus sacrificiis, et hostiis promereatur Deus ; quibus operibus magis oblectetur, et quibus mediis, expiatis culpis, gratia ab ipso obtineatur in hac vita, et aeterna beatitudo in altera. Haec inquam, si tamquam necessaria ad consequendum ultimum finem, Deum dicimus revelasse, per rationem naturalem, si sola sufficiens foret, debuissent innotescere. His postis sit.

PROPOSITIO.

Homini in præsenti statu Naturæ lapsæ, ad consequendum ultimum finem, necessaria est Doctrina revelata.

§. 12. *Probatur.* Homo est agens intelligens ; Ergo ut ultimum finem consequatur debet cognoscere quis, et cujus naturæ sit ultimus finis, et quibus mediis consequatur. Atqui in præsenti statu Naturæ lapsæ, sola naturali ratione duce, nequit talia cognoscere ; Ergo necessaria est ei doctrina revelata. I. consa patet : Nam agens intelligens, necesse est appetat finem, ad ipsum feratur, ipsumque diligat, quare omnino necesse est, ut sciat quis sit finis, et quæ ipsius natura ; voluntas namque humana non fertur in ignotum ; neque fieri potest, ut appetat, quod non cognoscit. Prob: nunc min: subsumpta, quoad primam partem. Si homo, seclusa revelatione, posset scire quis, et quid sit ultimus ejus finis, maxime id scivissent

Philosophi celebriores, qui in Mundo, variis in ætatibus floruerunt; Atqui Philosophi vel ipsi eruditissimi, qui veluti omnium Magistri habebantur, hoc ignorarunt; Ergo etc. Prob: min. Et primo ignorarunt Philosophi quis sit finis ultimus hominis; quidam enim summum bonum esse voluptatem dixerunt, sicut Arystippus; quidam virtutem, sicut Antisthenes. *Sic alii, atque alii*, ait S. Augustinus (Lib: VIII. da Civ: dei c. 4.), *aliud, atque aliud opinati sunt, quos commemorare, longum est.* Secundo ignorarunt Deum, quid nempe sit ultimus finis. Nam si verum Deum cognovissent, certe non admisissent tot Deos, masculos, fœminas, nobiles, plebeos, rusticos, civiles, cælestes, terrestres, æreos, subterraneos, majores, minores. Atqui tot Idola admiserunt, immo quod pejus est, ut Deos coluerunt, nedum homines vitiosos, atque scelestos, mulieres impudicas, atque abominandas, sed ipsamet animalia vilia, atque fastidium moventia; herbas quandoque etiam, et plantas; neque id fecisse putandum est solos infimæ plebis homines, illiteratos, et sine cultura, sed et ipsos Philosophos, atque Sapientes, qui veluti popolorum oracula habebantur. Hinc de Platonicis ipsis, testatur S. Augustinus (Lib: VII. de Civ: Dei Cap. 12.), quod licet de uno vero Deo bene senserint, *tamen, hi omnes, et cæteri ejusmodi, et ipse Plato, Diis plurimis sacra facienda putaverunt.* Neque aliter se gesserunt Sapientes alii. Quare de Sapientibus Egyptiorum loquens, Auctor Libri Sapientiæ (Cap: XII. v. 24.) ait, quod: *In erroris via diutius erraverunt, Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes;* atque de Sapientibus Athenarum, et Romæ loquens S. Paulus, scripsit (I. Rom: 24.), quod ipsi: cum *cognovissent Deum, nôn sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: di-*

centes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Ergo necessária est doctrina revelata. Quod si Philosophi ipsi, atque sapientissimi homines, licet potuissent Deum naturali lumine cognoscere, non cognoverunt, et in tot errores, circa ejus attributa, et proprietates inciderunt, quomodo scivissent Deum esse Trinum in Personis; Verbum Divinum humanam carnem, in Virginis utero assumpsisse, mortemque in Cruce pro salute humani generis subiisse, de quibus nullum apparet in rebus creatis vestigium, et humana ratio prorsus cæcutit, interim necessaria sunt Domini ad ultimum finem consequendum. (§. 11.)? Nullo pacto; Adeoque etc. Probatur eadem minor quoad secundam partem. Media ad consequendum ultimum finem, duo pæecipue sunt, Fides nempe, et opera bona. Et ad Fidem quod attinet, hæc est adeo necessaria, ut *sine fide impossibile* sit ex Apostolo Paulo (Heb: XI. 6.) *placere Deo, et ad veritatis cognitionem pervenire.* Hinc (Id: ibid: v 1.): *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*; hoc est, credere debemus, non solum quod existat, ut auctor tum Naturæ, quam gratiæ, sed etiam quod justus remunerator sit, et ultimus finis hominum. Atqui Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi, hoc est per revelationem; Ergo sine revelatione, et sola ratione naturali duce, nequit homo cognoscere quibus mediis ultimus finis consequatur. Quod vero spectat ad bona opera, hæc adeo sunt necessaria, ut Fides sine operibus mortua sit; hoc est ad consequendum ultimum finem, sola non sufficiat. Hinc Christus dominus apud Matt. (Cap. XIX. v. 17.): *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Quæ omnia in his duobus præceptis continentur, amoris videlicet Dei, et proximi (ib: 22. 37. 39.); Atqui sine revelatione,

Dei mandata cognosci non possunt; et multo minus servari; Ergo etc; adeoque, etc: Hinc nil mirum si sapientiores, cultioresque ipsæ Orbis Nationes Chaldæi Ægyptii, Phœnices, Græci quoque, atque Romani eo dementiæ devenerunt, ut putarent, Deos digne coli ebrietatibus, prostitutionibus, aliisque abominandis impudicitiis; Nil mirum, si quandoque, non solum immolabant Idolis bruta animalia, sed etiam filios, et filias, quod cogitatu horribile est, et maximæ perversitatis opus, merito Israelitis a Psalmista exprobratum (Psal: 105. 35.). *Immolaverunt filios suos, et filias suas Dæmoniis.* Nil mirum, inquam si hæc, et alia humanæ malitiæ portenta, non solum admiserint, sed et pro sacra habuerint. Divina revelatione orbati, judicia sua, et præcepta, Deus ipsis non manifestaverat. In tenebris ambulabant, unde et quo irent, nesciebant; quare via illorum erat tenebræ, et lubricum, erroris via, et iniquitatis, quæ ad consequendum ultimum finem nec ducebat, nec ducere poterat. Adeoque etc.

Deistarum objectiones solvuntur.

§. 13. *Obij*: I. Ratio naturalis data est homini, ut Deum cognosceret, et cognoscendo diligeret; ergo sola sufficit homini, ut finem ultimum consequatur. Adeoque falsa propositio.

§. 14. R. dist. cons. sufficiens fuisset pro statu naturæ integræ, quando Deus primo hominem condidit, transeat; in præsenti statu naturæ lapsæ, nego consm. Forsan in statu innocentiæ, in quo homo suis facultatibus recte, atque expedite utebatur (§. 5.), poterat sola naturalis ratio, homini Dei gratia adjuto, sufficere, ut finem ultimum assequeretur (esto non desint, qui oppositum teneant). At in præsenti statu, in quo unusquisque nascitur ignorantiæ tenebris obrutus (§. 7.), continuam in seipso luctam carnis adversus

spiritum, et spiritus adversus carnem experitur non modo, sed talem in malum propensionem, ut licet bona videat, probetque, deteriora sequitur, in hoc statu, inquam, homo revelatione opus habet, quæ et tenebras ignorantiæ ab ipso depellat; perturbationes passionum componat; et veluti fortiter, atque suaviter, ad malum fugiendum, et bonum amplectendum, alliciat.

§. 15. *Contra.* Atqui etiam in præsenti statu naturæ lapsæ, homini sufficit sola ratio naturalis ad consequendum suum ultimum finem; ergo n. r. Pr. subsm. Ratio naturalis in æternis, et immutabilibus rerum essentiis fundata est; adeoque est immutabilis, et perfecta; igitur sicuti in statu naturæ integræ, ita et in statu naturæ lapsæ est eadem, et immutabilis; consequenter sicuti in eo statu, ita et in hoc est sola sufficiens.

§. 16. R. dist. 2. p. antec. Ratio naturalis est immutabilis, et perfecta in se considerata, concedo; ut reperitur in homine lapso, nego antec:, et conseq. Ratio naturalis in se considerata, utique est perfecta atque in homine innocente, et divina gratia prædito, sufficiens; At non ita si consideratur, ut est in homine per culpam læso; in eo enim multum insufficiens est, et quidem adeo ut ad plurimas ipsas veritates naturales, aut nunquam, aut nonnisi labore improbo pertingit, quemadmodum experientia edocemur.

§. 17. *Contra.* Atqui ratio naturalis, etiam ut reperitur in homine lapso, perfecta est; Ergo n. r. Prob. subsm. Si naturalis ratio in statu naturæ lapsæ foret imperfecta, et homini insufficiens ad suum ultimum finem consequendum, sequeretur, ipsam doctrinam revelatum esse quoque ad id insufficiens; Atqui per vos revelatio est sufficiens, et perfecta; Ergo ratio naturalis etc. Prob.: min. Non minus Gentiles, solam humanam rationem sequentes, plurima errorum

monstra in Fidem, bonosque mores adniserunt, quam ipsi Christiani, divina revelatione ditati. Quis enim ignorat quot absurda, et impia, vel al ipsis Ecclesiæ cunabulis, in Fidem, bonosque mores pervulgarint Hæretici, et pervulgare non cessant? Ergo etc.

§. 18. R. dist: antec. Et Gentiles in errores lapsi sunt, quia ratio naturalis erat ipsis insufficiens, et imperfecta, Christiani vero errarunt, quia revelationem sequi noluerunt, vel ea impie abusi sunt, con: ans; Ergo etc:, n. consm. Diversissima certe ratione erraverunt Gentiles, ac erraverunt Christiani. Gentiles erraverunt, quia sola naturali ratione duce assequi non potuerunt, quæ scienda, et agenda erant ad ultimum finem consequendum; erraverunt vero Christiani, quia, licet Revelatione ditati, nihil deerat, quominus recta saperent, revelationem tamen aut sequi noluerunt, aut ea turpiter abusi sunt. Quare optime dicimus, Gentiles non potuisse finem ultimum assequi; Christianos vero, potuisse quidem, sed nobuissé. Nam: *Lux venit in Mundum*, ait Christus (Ioan: III. v. 19.), *et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Divina revelatio, sive verbum Dei est proculdubio lumen semitis hominum, eosque ad cognoscendum Deum, eique debitum cultum praestandum; adeoque ad consequendum finem recta ducit; at si homines, relictis semitis, in quibus lumen splendescit, per vias non bonas ambulant, opertas mortis caligine, et tenebrarum, in errores turpissimos prolabuntur, quid culpæ est doctrinæ revelatæ?

§. 19. *Obj.* II. Si homini ad suum ultimum finem consequendum necessaria esset doctrina revelata, ea deberet esse omnibus nota; atqui non est omnibus nota; ergo non est necessaria.

§. 20. R. dist. maj. Si etc. omnibus nota, hoc est omnium cordibus insita, nego maj.: omnibus a Deo manifestata, conc. maj., et dist. min. Atqui etc., hoc est insita etc. conc., a Deo revelata, n.

min., et consm. . Ut necessaria ostendatur hominibus doctrina revelata ad consequendum ultimum finem, opus non est, ut ea in cordibus omnium sit a Deo insculpta, quemadmodum signatum est super nos lumen vultus Dei, nempe ratio, sed sufficit quod ea sit omnibus a Deo proposita, et manifestata, sicuti jam factum est. Nec interest, plerosque illam ignorare; nam id oritur ab eorum negligentia, vel malitia, qua Deo subjici aut nolunt, aut negligunt.

§. 21. *Contra.* Atqui doctrina revelata, non est omnibus manifestata; Ergo n. r. Prob. subm. Ante Moysen, homines absque doctrina revelata vixerunt; et tamen plurimi fuerunt justi, qui ultimum finem consequuti sunt. Ergo doctrina revelata etc.

§. 22. R. dist antec. Ante etc: absque doctrina revelata scripto tradita, conc., inspiratione divina interna, vel traditione de parentibus in filios, n. antec.; Ergo etc:, n. consm. Fetemur et nos, ante Moysen, homines sine doctrina revelata, scripto tradita, vixisse; negamus vero, eos omnino revelatione caruisse, atque interim ultimum finem consequi potuisse. Nam, *ante tempora Legis* (scribit S. Thomas 2. 2. q. 93. v. 1.), *justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quem alii sequebantur.* Neque tunc opus erat ut scriberentur, quæ Deus alicui per instinctum revelabat, quia cum homines illius temporis essent longævi, revelatio Divivina, oretenus ad posterorum cognitionem, commode poterat pervenire. Falsum igitur est, in statu Legis naturæ, homines absque omni revelatione vixisse, atque ultimum finem consequutos fuisse.

§. 23. *Contra.* Ex concessis, doctrina revelata non est insculpta in cordibus hominum; ergo non est necessaria. Prob. cons. Omnibus est insitus ad beatitudinem appetitus. Cum ergo sit incredibile, quod sit insitus appetitus finis, et non sit insitus appetitus me-

diorum, inter quæ doctrina revelata computatur, si haec non est insita, non est necessaria.

§. 24. R. dist. cons. Sicuti appetitus finis, est insitus, ita et appetitus mediorum, naturalium, conc., supernaturalium, nego consm. Doctrina revelata cum sit donum Dei gratuitum, quod posset Deus hominibus denegare, ejus appetitus, certe a natura non profluit. Appetitum namque ad finem, sicuti et media pro fine supernaturali acquirendo, nos non habemus a natura; sed praevia revelatione oritur in nobis (1).

CAPUT II.

De Divinæ Revelationis existentia, deque characteribus ejus, sive motivis credibilitatis.

§. 25. *Def. Characteres Divinæ revelationis*, qui etiam motiva credibilitatis vocantur, ***nihil aliud sunt, nisi signa quædam, et notæ, quæ in aliqua doctrina relucentes, animus docilis, ac prudens movetur, et trahitur ad assentiendum ei, ut a Deo indubitanter revelatæ.***

§. 26. *Schol.* Hujusmodi characteres alii sunt *intrinseci*, *alii extrinseci*. *Intrinseci* si ab his, quæ doctrina revelata continet, desumuntur, *extrinseci* vero, si extra eam petuntur. Sed quot numero sint, diversa sunt.

---

(1) De Religione tum Naturali cum Revelata permulti scripserunt, sive ex professo, sive incidenter. Inter alios Recentiores legantur F. Thomas Maria Cerboni in Opere quod inscripsit: *De Theologia Revelata libri tres.* Gregorius Simon in Opere, cujus titulus: *Tractatus de Religione*; P. Ignatius a Cruce in libro inscripto *Revelatæ Religionis vindiciæ.*

Auctorum placita.

§. 27. Concordes sane Theologi non sunt circa horum characterum numerum, et qualitatem. Quidam cum Gregorio Simone, tres tantum admittunt; alii cum P. Ignatio a Cruce, quatuor; alii cum Ludovico Abbelly septem; alii cum Francisco Henno, etiam septem, sed non eosdem ac supradicti auctoris, et alii plures, aut pauciores

Propositio I.

Existit revera Divina revelatio.

§. 28. Probatur 1. ratione. Homo sola ratione duce nequit assequi suum ultimum finem, sed indiget necessario doctrina revelata (§. 12.); ergo existit hæc doctrina. Prob. cons. Qui vult efficaciter finem, media quoque velle debet, et præstare ad finem consequendum; atqui Deus vult hominem suum ultimum finem consequi; ergo media quoque velle, et dare debuit ad talem finem assequendum. Sed inter, media præcipuum est doctrina revelata; ergo hanc ei dedit; adeoque existit doctrina revelata.

§. 29. Prob. 2. Consensione scriptorum, omni ætate, tum integritate morum, tum eminentia scientiæ adeo insignium, ut eis fidem, saltem humanam, negare, sit omnem historiam e medio tollere. Et sane cum existentia doctrinæ revelatæ sit materia facti, nonnisi auctoritate comprobari potest. Ac primo quidem Moyses, vir omni exceptione major, et in tota antiquitate celebris, pluribus in locis Pentateuchi apertissime testatur, Deum, a primo parente per omnia tempora hominibus loquutum fuisse, suamque voluntatem manifestasse; ipsi, et per ipsum Israelitico populo revelasse præcepta, consilia, ritus, et cæremonias, atque omne id quod ab hominibus volebat in

signum subjectionis, et amoris erga ipsum; atque insuper omnia signa refert, quibus suam Deus revelationem hominibus testatam esse voluit. Secundo, David idipsum repetit sæpius; Psalmo præsertim 101. 7., ubi ait: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Tertio: S. Paulus, vir certe populis omnibus admirabilis, Divinæ revelationis existentiam, paucis sic exponit ad Hebræos scribens (Cap: I. v. 1) *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis loquutus est nobis in Filio.* Neque absimiliter loquuntur alii quamplurimi. Ergo existit doctrina revelata.

Adversariorum Objecta solvuntur.

§. 30. *Objic.* 1. Si existeret Divina revelatio, ea certe inveniretur in Scriptura, quam dicitis Veteris, et Novi Testamenti; Sed ibi non invenitur; Ergo non existit. Prob: min: Laudata Scriptura, non a Deo, sed ab hominibus fuit exarata; Ergo non invenitur in ea Divina revelatio; adeoque etc:

§. 31. R. Dist. ans. Laudata etc., ab hominibus, proprio arbitrio, et voluntate humana scribentibus, n. antec.; ab hominibus a Deo illustratis, inspiratis, motis, ad ea scribenda, quae pro sua gloria, et hominum bono revelare dignabatur, conc: antec.; Ergo etc. n. consequentiam. Verum quidem est, Scripturam, quam Veteris, et Novi Testamenti dicimus, non a Deo immediate fuisse conscriptam, atque de Caelo nobis missam, sed mediate, per homines nempe a Deo ipso electos, qui nomine suo, notas facerent hominibus voluntatem suam, et quidquid eis opus esset, ad ultimum finem consequendum, patefacerent. Quod et illi fideliter praestiterunt. Licet ergo Scriptura sit ab hominibus exarata, adhuc tamen Divinam continet revelationem; quia non aliud homines in

ea scripserunt, quam quod Deus ipsis immediate revelavit, ut scriberent.

§. 32. *Contra*. Atqui Scriptura ab hominibus, voluntate propria, absque divina inspiratione, exarata est; Ergo n. r. Prob: subsm. Si Scriptura ab hominibus a Deo inspiratis, et motis exarata fuisset, ab ea exularent quam longissime mendacia, contradictiones, falsitates etc.; Atqui in Scripturis multa occurrunt mendacia, contradictiones, falsitates, necnon multa ridicula, et absurda; Ergo etc:

§. 33. R. con: maj., dist: min. Atqui etc: verae, et reales, n. min: apparentes tantum, et chimericae, conc: min:, et n. consm. Negare non audemus, multa in Scriptura inveniri, quae si primo intuitu, et oculo carneo inspici velimus, mendacia videbuntur, contradictiones, et falsitates, sed quod reapse ita sint, id est quod omnino negamus. Nam cum Scriptura non sit adeo aperta, ut ejus sensus, cuique pateat; cumque ejus interpretatio, privato cujuscumque hominis judicio fieri, sit impossibile ob varios sensus, et arcana sublimia quae continet; evenit inde, ut minus intelligentibus, et res cortice tenus inspicientibus, aut verba secundum litteram, et materialiter accipientibus, multa in ea videbuntur mendacia, falsitates, et contradictiones, quae interim verissima sunt.

§. 34. *Contra*. Atqui non apparentes, et chimericae, sed verae, et reales falsitates, et contradictiones in Scriptura occurrunt; Ergo n. r. Prob: subsm. Josuè (Cap. VII. v. 25.), Acan cum filiis suis occiditur; et tamen apud Ezechielem (Cap: XVIII. v. 20.) ait Deus: *Filius non portabit iniquitatem Patris*. Deinde, apud Tobiam (Cap: III. v. 7.), Sara Raguelis filia, quae juniori Tobiae nupsit, Rages Medorum Civitatem incoluisse dicitur, et tamen legitur, quod cum ad eam venisset Tobias, misit Raphaelem Archangelum ad Rages Civitatem Medorum, ut pecuniam a

Gabelo reciperet. (ibid: C. IX. v. 3. 6.). Tandem, ut alia innumera, brevitatis gratia, praetereamus, Judith, dum Holofernem interfecit, atque Betuliam suam Patriam liberavit, dicitur puella, cum tamen constet, ipsam tunc esse viduam, et aetate maturam, annorum fere quadraginta. Jam vero non portare, et portare filium iniquitatem Patris, contradictorium est: Esse in Rages, et mittere Raphaelem in Rages, est absurdum: Iudith esse puellam, dum annos fere quadraginta habebat, non recte cohaeret; Ergo etc.

§. 35. R. Quaecumque in argumento afferunt adversarii, nihil omnino valent ad nostram thesim infirmandam. Et ad primum, quod attinet, nihil contradictionis in eo fuit, ex quo filii Acan simul cum Patre, ob Patris furtum, perierint, non obstante Dei praecepto: *filius non portabit iniquitatem Patris*; hoc enim. Deo jubente evenit; idque vel quia filii participes fuerunt iniquitatis paternae, nempe furti; vel quia Deus voluit dare in eis exemplum severitatis, et justitiae. Quoad secundum, nihil prorsus absurdi est in eo, quod dicitur, Thobiam in Rages morantem, misisse Raphaelem in Rages; nam in illo Assyriorum Dominio, variae, et diversae Civitates erant Rages nomine; de una itaque, in qua erat, poterat Raphaelem mittere in aliam. Nisi dicere velimus cum Nicolao de Lyra, fieri potuisse, quod Raguelis, villam habuerit nomine Rages, Civitati magnae Rages affinem, et ex illa misisse Raphaelem, qui pecuniam a Gabelo Tobiae debitam reciperet. Quoad tertium denique, nulla incohaerentia est, quod Iudith dum Holofernem prostravit, dicatur puella, licet esset aetatis quadraginta annorum; nam cum in tali circunstantia, naturali illius pulchritudini egregiae, Dominus ipse contulisset splendorem, oculis intuentium, non mulier aetate matura, sed puella pulchra nimis, et decora apparebat.

§. 36. *Obj*: II. Si existeret Divina revelatio, maxime in Libris Novi Testamenti existeret, in quibus dicitur, Deum Patrem loquutum fuisse nobis in Filio; Atqui ne vestigium quidem Divinae revelationis in Libris hujusmodi videtur; Ergo falsa propositio. Prob: min. Si Libros Novi Testamenti vel parum inspicimus, statim colligimus, eos non Deo revelante conscriptos fuisse, sed partus fuisse hominum, et quidem simplicium, atque imperitorum; ipsorum namque stylus simplicissimus est, et humilis; atque ex iis, quae scribunt, non pauca sunt, quae absurda, et Deo injuriosa videntur; Ergo etc.

§. 37. R. n. antec., et consm. Cum Apostoli, aliique Domini nostri Iesu Christi discipuli, Mundum Evangelio subjugandum susceperint, *non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ* (I. Cor: II. v. 1.) *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis; Non in doctis humanæ sapientiæ Verbis, sed in doctrina spiritus*, mirari non debemus, si ipsi in scribendo, quae revelatione didicerunt, de styli concinnitate, atque sublimitate, parum fuerint solliciti. Cumque ipsi sapientiam loquerentur, atque Dei scriberent sapientiam *in mysterio, quæ abscondita est* (Cor: I. Cap: II. v. 7 et seq,), nil mirum si quaedam ex iis, quae scripserint, inveniantur, quae quoniam sunt difficilia intellectu, indocti, atque instabiles homines depravant, (II. Petri III. v. 16.) detorquentes in alienum sensum, ut sic absurda, vel Deo injuriosa appareant. Tantum igitur abest, ut styli simplicitas, et Mysteriorum profunditas, quae in Scripturis observantur, Divinae revelationi obstent, quin potius manifestissima sunt argumenta, Divinam revelationem in ipsis contineri. Audiatur hic parumper vel ipse Deistarum famosus Joannes Jacobus Rousseau (Emil. T. III.) « Vi confesso (en ejus » verba) che mi sorprende la maestà dalle Scritture, » la santità del Vangelo mi parla al cuore. Mirate

» i Libri de' Filosofi con tutta la loro pompa, quanto » sono piccioli, posti al confronto di quello! Com' è » possibile che un Libro sì sublime, e insieme sì » semplice sia opera degli Uomini? Com' è possibile, » che quegli di cui fa l' istoria, sia un puro Uomo? » E' egli forse il linguaggio di un Entusiasta, o di » un ambizioso Settario? Che dolcezza, che purità » ne' suoi costumi! Che grazia, che attrattiva nelle » sue istruzioni? Che elevatezza nelle sue massime! » Che profonda sapienza ne' suoi discorsi! Che pre- » senza di spirito, che giustezza nelle sue risposte! » Che impero sopra le sue passioni! Ov' è l' Uomo, » ov' è il saggio, che sappia operare, patire, e mo- » rire senza debolezza, e senza ostentazione? »

§. 38. *Contra.* Atqui vere absurda, et Deo indigna scribunt in Evangelio Scriptores; Ergo n. r. Certe nihil magis absurdum, atque indignum scribi potest, quam Christum in Mundum venisse, non adferendam pacem inter homines, sed gladium, discordiam, dissensiones, odia, rixas, homicidia etc. Atqui talia scribunt; imo asserunt talia, ore proprio, Christum dixisse; de facto dixerat (Matt: X. v. 36.): *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum; et nurum adversus socrum suam*, etc.; Ergo etc.

§. 39. R. ad argm. Nihil magis rectae rationi consentaneum esse potest, quam quod, veluti absurdissimum jactitant in argumento Deistae. Sane, si nemo, ut ait Christus Dominus (Matth: VI. v. 24.) potest duobus Dominis, sibi contradicentibus, servire, sed unum si diliget, alterum necesse est contemnet; nemo potest Deo servire, et mammonae, Christo, et Diabolo, vel Mundo. Quare qui vult Deo servire, et cum eo pacem habere, necesse est odio habeat Mundum, et ad bellandum adversus Dei hostes paratus sit. Hinc ajebat Ecclesiasten (Cap: II. v. 1.). *Fili accedens ad servitutem Dei sta in timore et*

praepara animam tuam ad tentationem; si vero vult pacem cum Mundo, aliisque Dei, atque humani generis hostibus habere, tunc bellum cum Deo sustinere cogitur. Cum ergo Dominus Jesus Christus a Prophetis, et antiquis Patribus, ut Princeps pacis, et pax ipsa nostra, quae exsuperat omnem sensum; fuerit promissus; et ipse jam veniens, pacem omnibus attulit, reconcilians nos Deo Patri per suam Passionem, et mortem, tollens inimicitias quae erant ob Adae culpam inter Deum, et genus humanum, solvensque debitum omne, effusione sanguinis sui in ara Crucis, omnes qui volunt Deo obtemperare pieque vivere in Christo Jesu, persequutionem patientur, et bellum spirituale adversus insidias Diaboli sustinere coguntur, aliosque humani generis hostes; idque non ex parte Dei, qui verae pacis est auctor, sed perversa illorum voluntate, qui vocanti Deo, verae pacis consequutioni obsistunt, et verae pacis amatores odio habentes, persequuntur, cum interim illi cum eis qui oderunt pacem sunt pacifici. Adversus itaque nostram thesim nihil facit oppositum in argumento.

§. 40. *Contra*. Atqui absurdum omnino est, tempore Legis Euangelicae, et sub Christo Principe pacifico esse in Mundo dissensiones, odia inimicitias, et cujuscumque generis bella; Ergo n. r. Prob: subsm. Isaias praedicens bona, quae allaturus erat hominibus Messias, inter alia, promittit, per ejus adventum adeo pacem fore inter homines stabilendam, ut cessarent omnino dissensiones, et cujuscumque generis bella; ita ut ipsa bellica instrumenta, in aliud permutata, et conversa, ultra non exercerentur ad bellum; ait enim (Cap: II. v. 4.): *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit Gens contra Gentem gladium, nec excercebuntur ultra ad praelium*: Ergo etc.

§. 41. R. admitt: auct:, distinguendo sensum:

Isaias etc : Si sermo sit de veris, et Catholicis fidelibus; qui nempe Christianam fidem, quam profitentur, sanctis operibus complent, suntque, uti decet, Christi Domini veri imitatores et sequaces, conc: , si de infidelibus, aut de illis qui fidem habent, sed condigna Fidei opera facere nolunt, n. antec; Ergo etc: , n. consin. Veri Christi fideles, veram pacem per merita Christi Domini consequuti, pacem nempe cum Deo, cum quo reconciliati sunt, et per charitatem ei adhaerentes, unus spiritus sunt cum eo; pacem cum seipsis ob victoriam adversus carnis concupiscentias, mediante illius gratia, reportatam; pacem tandem cum proximo, ob praeceptum mutuae dilectionis, qua ut sibi, ita illi omne bonum volunt, et operantur, proculdubio inter eos nec rixae, neque dissensiones, neque bella inveniuntur; et quoad eos Isaiae vaticinium adimpletum est. Et sane: unde bella et lites in hominibus? certe ex concupiscentiis eorum (Iac. IV. 1.) Si ergo Christi fideles, carnem suam crucifigunt cum vitiis, et concupiscentiis; non est cur inter eos jurgia sint, contentiones, et bella. Quod si in Mundo bella sunt etiamnum, et quidem injusta, id est ex parte illorum, qui non credunt, neque obediunt Evangelio; vel si credunt, condigna Christianae fidei opera facere nolunt, quam tenere videbantur. Negandum tamen non est, plerosque Reges, licet sanctos, bella quandoque suscepisse; sed hoc Isaiae laudato, non adversatur. Nam id ab illis factum est, non ex concupiscentiis ipsorum; animo nempe se de inimicis ulciscendi, aut aliena sibi usurpandi; aut proximi depressione, suorum Regnorum confinia extendendi; sed vel ad conterendos verae fidei, et Ecclesiae hostes, vel ad propria justa jura ab usurpatoribus tuenda; Quod bellandi genus Regi, etiam Catholico, et Sancto competit: *Non enim sine caussa*, ait S. Paulus (Ad: Rom: XIII. v. 4.). *gladium*

portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.

42. Schol: Adversus revelatae doctrinae existentiam alia non pauca opponere non cessant Deistae, atque aliquid valde magnum se obtinere putant, varias, quae sive in Veteri, sive in Novo Testamento passim occurrere videntur, antilogias, afferendo. Sed pessimam caussam agunt. Quae namque in Scripturis antilogiae apparent, talis naturae non sunt, ut in sensum rectum, et Catholicum interpretari non possint, ut modo vidimus, et Sacri Scriptores variis rationibus ostendunt. Sed de hoc, aliam paulo infra.

PROPOSITIO II.

Characteres intrinseci Divinæ revelationis sunt quatuor; nempe 1. Revelatorum rationabilitas; 2. Summa inter se consensio; 3. Doctrinæ puritas; et 4. Prophetia eventu comprobata. (a)

§. 43. Exponitur prop.: Et primo: quod lumini rationis manifeste, ac vere adversatur, a Deo revelatum nullatenus esse potest. Nam cum Deus sit omniscius et verax, non potest sibi ipsi contradicere; nequit ideo docere aliquid ratione, cujus est auctor per viam naturæ, et contrarium, et oppositum docere revelatione, cujus est auctor per viam gratiæ. Quæ ergo cum ratione pugnant, eique perfecte opponuntur (non vero quæ sunt supra rationem), dici nequeunt a Deo revelata.

§. 44. Secundo: *Veritatum inter se se consensio, et mira concordia*, character est doctrinæ revelatæ. Cum namque veritas veritati nequat esse con-

(a) Vid. Frassen Tom. VIII. Tract.: II. Disp: 1. Art. 1. q. VI. Concl: 3.

traria, quod a Deo est revelatum, cum alio revelato nec pugnat, nec pugnare potest, alias verum vero opponeretur, et Deus falsitatis aut mendacii insimulari posset, quod impium est dicere. Quando itaque partes alicujus doctrinæ inter se conveniunt; et maxime, si qui eas scripserint a se invicem, et loco, et tempore dissiti fuerint, neque ad invicem conferre potuerint, tunc signum est, eam esse a Deo revelatam.

§. 45. Tertio: *Doctrinæ puritas, ac Sanctitas*, Divinæ revelationis est argumentum. Cum enim Deus sit summe bonus, atque sanctitatis fons et origo, atque doctrinam revelatam homini dederit, ut in sanctitate, et justitia omnibus diebus suis serviat ei; cumque fieri nequeat, ut homines, absque revelatione, ex proprio corde, doctrinam promant, undequaque sanctam, et puram, absque ulla commixtione erroris, vel mendacii; quoties doctrina undequaque pura, et Sancta invenitur, revelata est.

§. 46. Quarto tandem: *Prophetia eventu comprobata*, signum est Divinæ revelationis. Cum namque Prophetia sit earum rerum prædictio, quæ nondum evenere cum prædicuntur, quæque neque ex causis naturalibus, neque ex præsenti rerum statu conjici possunt; Cumque solus Deus sit auctor Prophetiæ, quippe qui solus novit abscondita cordis, et nihil habet quod non sit ei præsens; quoties quod propheticæ predictum est, evenit revera, sicuti comprobatio Prophetiæ, signum est eam fuisse a Deo, ita character est doctrinæ revelatæ.

CAPUT III.

Expenditur utrum Deus per se; vel per alium mentiri possit?

§. 47. *Def.* 1. *Mendacium*, ex D. Augustino (Lib: cont. mend: c. 12.) *est falsa significatio cum voluntate fallendi.* Itaque.

§. 48. *Def.* 2. *Mentiri nihil est aliud*, *quam asserere falsum animo fallendi.*

§. 49. *Corol.* 1. Duo ergo ad mendacium requiruntur; 1. ut falsum dicatur, et 2. ut eo animo dicatur, ut fallantur audientes.

§. 50. *Coroll*: 2. Qui verum dicit non est proprie mendax, si qui audit ex prava intelligentia, in aliquos incidat errores, et fallatur; Atque hoc in sensu, res a Deo creatae, dicuntur fallaces, et muscipulae pedibus insipientium (Sap: XIV. 11.). Contra mendax dicendus est, qui verum loquitur, sed illud interim putat esse falsum, et eo animo, ut fallat, profert. *Quandum namque ad animum ejus attinet*, ait S. Augustinus (Ench: ad Laur: c. 13.), *quia non quod sentit hoc dicit*, *non verum dicit*, *quamvis verum inveniatur esse quod dicit*; *nec ullo modo liber est a mendacio*, *qui ore nesciens verum loquitur*, *sciens autem voluntate mentitur.*

§. 51. *Schol.* Duplex in Deo potentia est distinguenda; una nempe *generalis*, et *absoluta*, alia *ordinaria.* Prior est illa, quæ nulla lege, etiam naturali constringitur, et circa illa versatur, quae esse non repugnant. Secunda est illa, quae legi naturali subjecta est, et circa ea tantum versatur, quae esse possunt, salva lege, statutisque Divinis. Quod itaque expenditur in hoc Capite, est: utrum Deus de potentia sive absoluta, sive ordinaria mentiri possit. Circa quod variae sunt.

Auctorum sententiae.

§. 52. Qui Deum mentiri posse non solum asseruerunt, sed et jam mentitum pluries fuisse blasphemarunt, fuerunt Manichaei. Qua de re Vetus Testamentum rejiciebant, eo quod mendaciis plenum esse dicebant, et a Deo malo Patriarchis, et Prophetis dictatum. Post hos Priscillianistae, ut suum de honestate, et bonitate mendacii errorem firmarent, Deum in Sacris literis, non semel mentitum esse adfirmarunt. Non defuerunt quoque inter Theologos recensiores, qui asserere non dubitarunt, Deum esto nunquam fuisse mentitum, nec de potentia ordinaria mentiri posse, absoluta tamen potestate, ac de potentia extraordinaria mentiri posse contendunt. Inter eos numerantur Gabriel, Holcot, Aliacensis, Adamus, aliique.

PROPOSITIO I.

Mendacium est intrinsece malum, et Deo abominabile.

§. 53. Prob. In Exodo (XXIII. v. 7.) ait Dominus: *Mendacium fugies.* Similiter in Ecclesiastico (Cap: VII. v. 14.): *Noli velle mentiri omne mendacium;* et alibi (Cap: II. 14.) dixerat: *Vae duplici corde, et labiis scelestis.* David, Deum alloquens, inquit (Psal: V. v. 7.): *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Hinc (Prov: XIX. v. 9.), habetur: *Qui loquitur mendacia peribit*; Et (C. XII. v. 22.) *Abominatio est Domino labia mendacia* Insuper (Sap: I. v. 11.): *Os quod mentitur occidit animam.* Quare Apostolus ad Colossenses scribens: *Nolite mentiri invicem*, ait (Cap. III. v. 9.); et ad Ephesios (Cap: IV. v. 25.): *Propter quod* scribit, *deponentes mendacium loquimini veritatem,*

Quibus positis, en argumentum pro nostra propositione: Illud est intrinsece malum, quod praecepto Divino tenemur fugere; penitus nolle, atque abominari; quodque admissum, damnationis periculo, aliisque calamitatibus supponit; Atqui, ex dictis, tale est mendacium; Ergo etc.

§. 54. Prob: II. ex Patribus. S. Augustinus (In Enchir:): *Mihi non absurdum videtur, omne quidem mendacium esse peccatum*. S. Ambrosius (Ser: de Dominica de Abraham): *Cavete, iniquit, fratres mendacium; quia omnes, qui amant mendacium filii sunt Diaboli*; et ut brevitatis gratia, alios silentio praetereamus, sit pro aliis omnibus S. Isidorus (In Syn:): *Omne genus mendacii summopere fuge*. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Impossibile est, Deum potentia sive ordinaria, sive absoluta, per se mentiri.

§. 55. Pob: 1. ex Sacris Scripturis. Numerorum Libro (Cap:. XXIII. 19.) legitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*. Apostolus ad Romanos (Cap: III. v. 4.): *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*; et rursus ad Timotheum (II. v. 13.). *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*; et ad Hebraeos (Cap: VI. v. 18.): *Impossibile est mentiri Deum*. Quid clarius? Igitur etc.

§. 56. Prob: II. sequentibus rationibus. Deus est ens infinite, et undequaque perfectum; adeoque summe, atque infinite verax; Atqui cum summa veracitate pugnat medacium; ergo impossibile est Deum mentiri. Prob. min.: Veracitas est constans, et firma voluntas, mentis conceptus, uti sunt, exprimendi: mendacium vero est falsa assertio animo fallendi (§. 47.).

Si ergo Deus quacumque potentia mentiri posset, esset simul verax, et non esset: esset ut supponitur, non esset autem quia mentiretur; atqui hoc est impossibile; Ergo impossibile est etc.

Deinde Deus est Ens, quo nihil melius excogitari potest; Atqui si mentiri posset, excogitari posset Ens ipso melius; Ens nempe, cui repugnat mentiri; ergo etc.

Praeterea, mendacium aut oritur ex ignorantia, aut ex malitia, aut ex infirmitate; Atqui Deus neque ex ignorantia mentiri potest, quia omniscius; neque ex malitia quia mendacium est intrinsece malum (§. 53.), Deus est essentialiter bonus; neque ex infirmitate, quia omnipotens; Igitur etc.

Tandem, si Deus mentiri posset, merito nos formidare possemus, fuerit ne aliquando mentitus, adeoque nulla foret apud nos auctoritas Scripturarum; atqui hoc est totam Religionem evertere; ergo impossibile est, etc.

PROPOSITIO III.

Impossibile omnino est, Deum per alios mentiri.

§. 57. Prob.: Si Deus per alium posset mentiri, mentiretur quoque per seipsum; nam qui aliquid per alium facit, per seipsum facere videtur; atqui impossibile est Deum mentiri, etiam de potentia absoluta (§. 55.); ergo impossibile omnino est etc.

Adversariorum sophismata solvuntur.

§. 58. *Obij*. I. contra 1. prop.: Deus est Omnipotens; ergo absolute mentiri potest, rem longe aliter, quam ipsa sit, hominibus enarrando.

§. 59. R. conc. antec. neg. consm. Deus utique est Omnipotens, et ideo quia omnipotens, nequit sibi

ipsi contradicere, suae veracitati repugnare, sicque seipsum veluti destruere, mentiendo. Perbelle Augustinus (Sent. 1. de Symb, ad Cath) factae objectioni satisfacit: *Deus ait, Omnipotens est: et cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest; . . . Nam si mori posset, non esset Omnipotens: si mentiri, si falli: si fallere: si inique agere, non esset omnipotens; quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Et recte, arguit more suo Angelicus Doctor (Lect: 2. sup. Caput 2. Epist: 2. ad Tim:): *Posse namque deficere magis pertinet ad impotentiam, quia quod aliquid deficiat a suo esse, est per debilitatem virtutis propriæ. Impossibile igitur est mentiri Deum, at impossibile istud*, ut ait S. Ambrosius (Epist: 10.), *non infirmitatis est, sed virtutis, et majestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.*

§. 60. *Contra.* Atqui Deus potest absolute mentiri; ergo n. r. Prob. subs. Deus nulla lege tenetur ad rem, uti est, hominibus manifestandam; ergo saltem potentia absoluta, potest mentiri.

§. 61. R. n. antec. et consm. Cum Deus nihil debeat creaturae, potest utique pro suo velle, rem aliquam ei manifestare, vel non. At volens ei aliquid revelare, mentiri nequit, cum seipsum, qui summa veritas est, negare non possit.

§. 62. *Contra.* Atqui Deus volens rem alicui manifestare mentiri potest; Ergo n. r. Prob: subsm. Cum esset festus dies Iudaeorum Scenopegia, Discipuli rogaverunt Iesum Christum, ut ascenderet ad diem festum: dixit eis Iesus (Ioan: XII. v. 8. et seq.): *Ego non ascendo ad diem festum hunc. Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. Ut autem ascenderunt fratres, ejus tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto.* Ergo etc.

§. 63. R. explicando sensum auctoritatis. Si se-

rio, et ut par est, integer textus expendatur in argumento allatus, facile erit deprehendere, nullum, vel levissimum mendacium fuisse a Iesu Christo prolatum, dum dixit Apostolis, se non ascendere ad diem festum; cum postea ascenderit. Nam. 1. Christus Dominus nolebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere, et maxime quando dies festus celebrabantur; interim Discipuli volebant eum transire in Iudaeam, et simul cum ipsis ascendere ad primum festum diem, in quo concursus erat major, et Iudaeorum furor in eum magis accensus. 2. Christus effugere volebat omnes occasiones, et non se exponere, ante tempus praeordinatum, ad subeundam passionem; interim ab ascendendo in Templum nolebat se eximere, ne obsequium Æterno Patri debitum, negligere videretur. En ergo quid egit? Non ascendit ad festum publice, et palam cum suis discipulis, et turba multa, et cum ostensione signorum, ut ab omnibus verus Messias, et Mundi Salvator dignosceretur, uti volebant Discipuli ejus, quia nondum erat tempus ejus; sed trasactis primis diebus festi, solus, sine comitatu, atque pompa, quasi in occulto ascendit; sicque Religionis officiis erga Deum Patrem non defuit, et iniquorum Iudaeorum insidias elusit. In quo ergo consistit mendacium a Christo in laudatis verbis prolatum?

Manichæorum objectis occurritur.

§. 64. *Ob.* II. contra eamdem. Deus saepe in Scripturis mentitus est; ergo et mentiri potest: ab actu enim ad potentiam valet consequentia.

§. 65. R. dist. antec. Et aliunde quae in Scripturis mendacia videntur, sunt mendacia apparenter tantum, aut mysteria, conc.: sunt mendacia proprie dicta, nego antec, et consm. Multa quidem in Scripturis inveniuntur, quae cortice tenus inspecta, men-

dacia videntur, veluti cum dicenti Caino: *Omnis qui invenerit me occidet me*, respondit Deus: *Nequaquam ita fiet;* cum tamen Cain a Lamech interfectus fuerit; aut sunt mysteria, veluti illud, quod Jacob fecit, hortante matre, cum haedinis pellibus, manus suas contexit, ut sic videretur esse Esau, et paternam consequeretur benedictionem. Nam neque hoc, neque illud fuere mendacia. Non primum, quia vera fuit responsio Dei, et eventu probata; Cain namque timebat se occisum iri a quocumque sibi obviante, Deus promisit quod non: revera ita fuit, nam nonnisi post multos annos interfectus fuit (esto non desint etiam, qui eum negent fuisse interfectum). Non secundum, quia quod fecit Jacob, fuit mysterium; præfiguravit enim illum, qui alienis peccatis onustus apparere voluit, ut omnibus Paternam benedictionem promereretur: Ita Augustinus lib. 10. contra mendacium. Nihil ergo adversus Dei veracitatem faciunt quae opponuntur.

§. 66. *Contra*: Atqui in Scripturis apparet, Deum revera mentitum fuisse; ergo nulla resp. Prob. subsm. Et ut res clarius pateat, audiatur Deus ipse apud Ezechielem (Cap: XIV. v. 9.), qui sic loquitur: *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum*; ergo etc.

§. 67. R. dist. sensum auct.: Ego Dominus decepi, absolute revelando ei falsum, eique mentiendo, nego; decepi, hoc est non obstavi, quominus deciperetur, et permisi eum decipi, concedo, et n. consm. Annuntiare infallibili eventu, quae futura sunt, solius est Dei, qui novit abscondita a saeculis. Propheta igitur, ut vere talis sit, debet a Domino inspirari, ac mitti. Si Deus aut eum non illuminat ad futura intelligenda, aut justo judicio, lumen quod dedit, ab eo aufert, ille erit prophetans de corde suo, et proinde deceptor. Nunc, spiritus prophetiae est donum gratis datum; sicuti ergo eum dat Deus qui-

bus vult, et quando vult, ita et aufert quando sibi placet. Cum itaque Deus auferendo lumen suum, et inspirationem, Propheta errat, nec verum loquitur, hinc dicitur a Deo fuisse deceptum, non quia Deus aliquid falsum ut verum revelaverit, aut rem pro alia, sed quia subtraxit ab eo auxilium suum, quo vera nuntiaret. Non est igitur, quod Deus aliquem absolute decipiat, quoties in Scripturis Sanctis legitur, aliquem decepisse, vel etiam errare fecisse, sed tantum, quod decipi permittat

§. 68. *Contra.* Atqui Deus revera absolute decepit, et mentitus est; Ergo a capite argumentum. Prob: subsm. Libro III. Regum Cap: XXII. *Ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Israel? .... Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: in quo? Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: decipies, et praevalebis: Egredere et fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum ejus.* Quibus positis, en minoris subsumtae clara probatio. Qui alterius operam quaerit, ut aliquem decipiat, illamque oblatam acceptat; fitque spiritus mendacii in aliorum ore, is certe, si non immediate per se, saltem mediate per alios, mentitur; Atqui ex allato testimonio, talis est Deus. Ergo etc:

§. 69. R. ad argm. Quaecumquae sacris in Literis a Deo dicta, vel facta narrantur, quae ipsius naturae, Divinisque attributis adversantur, non eo sensu accipienda sunt, quem literaliter accepta praeseferre videntur, sed tali, quod Deo non repugnet. Alias Deum constare dicendum erit, attributis, quae se mutuo destruunt; humana membra habere, humanosque affectus; quia passim Sanctis in Libris, talia Deo tribui non ignoramus, quaeque interim a Deo quam longissime exulant. Cum ergo inspecta Dei, entis

nempe perfectissimi natura, impossibile metaphysicum sit, ipsum per se, vel alios mentiri, profecto laudata in argumento, et si quae sunt alia ejusmodi, de simplici permissione deceptionis, non vero, quod Deus fuerit auctor mandacii, intelligenda sunt. (1).

CAPUT IV.

De veris miraculis, et num fieri possint in confirmationem falsae doctrinae.

§. 70. *Animad*: Miraculum juxta Joannem Lockium aliud non est, quam operatio sensibilis, captum spectatoris excedens, quae videtur consueto naturae ordini contraria, unde et divina judicatur. Samuel Clarkius insignis Philosophus Anglus, miraculum, ait, esse effectum admirabilem adversns constantem, ac concordem causarum secundarum cursum, virtute entis intelligentis, homini superioris perpetratum. Abbas de Houtteville, miraculum ait, esse eventum rarum ac stupendum, ex incognita, sed naturali legum generalium harmonia, et temperatione profluentem. Quid sensiendum sit de his definitionibus, et quam male, in illis conficiendis, se gesserint laudati Auctores, satis ostendit Auctor Theologicarum Institutionum Lugdunensium (T. 1. Diss. II. C. IV.).

§. 71. *Def*. Nomine legum generalium ordinis naturae intelliguntur principia firma, certaeque motuum determinationes, quae Deus initio creationis rebus omnibus tribuit, et ex quibus natura, perpetuo operatur, et se se movet exacte, ut ab illis recedere mi-

---

(1) *Plura alia de hac materia apud Auctores inveniuntur. Legantur interim, si placet*, Antonius Boucat *Theolog. PP. Tom. IV. p. 8.* Antoinè *Theol. Univ. Tom. I. p. 1.* Henno *Tom. I. p. 290.* Frassen T. 8. Tra: 11. disp. 1. Art: q. V.

nime queat. Sic ordo naturae est, ut grave tendat deorsum, ignis calefaciat, etc.

§. 72. *Schol*: Hujusmodi naturae leges, Dei nutui atque imperio subsunt, eas propterea potest Deus suspendere, immutare, quando vult, et quomodo vult. Cujus namque est leges condere, illius est etiam immutare; neque certe Deus, leges naturae condendo, ac naturae ordinem statuendo, sibi adimere libertatem voluit, aut aliqua necessitate se adstringi, cum ipse sit Dominus omnium, nec habeat, aut habere possit, qui valeat ei dicere, cur ita facis? Neque insuper pertimescenda est aliqua mutatio in Deo, dum naturae ordinem immutat; quippe omnia quae in tempore eveniunt, ipsi ab aeterno sunt nota; quare et ordinis naturae immutatio, nihil aliud est, quam exequutio liberorum decretorum suae peculiaris voluntatis, quae ab aeterno fixa sunt, et rata (Vid. S. Th. 1. p. q. 105. art. 6.).

PROPOSITIO I.

Miraculum est opus sensibile, et mirabile, superans vires, et ordinem totius Naturae creatae.

§. 73. Prob.: Nam si miraculum vires, aut ordinem naturae non excederet, posset utique ab aliqua eminenti creatura fieri; adeoque character infallibilis non foret veritatis. Daemones quippe, qui summa pollent vi atque scientia, continuo miracula patrarent sicque nos in perpetua illusione miserrime detinerent; quod certe permitti a Divina bonitate, per quam longissime abest. Adeoque etc.

§. 74. *Coroll*: 1. Ad verum ergo miraculum, duo necessario requiruntur; 1. nempe verus, et realis effectus; et 2. maxima potentia, quæ superat omnes potentiam naturae creatæ; Adeoque.

§. 75. *Coroll*: 2. Veri miraculi caussa efficiens

simplex creatura esse nequit; quippe, qualiscunque ea sit, vires tales non habet, quae superare possint Naturae potentiam. Miraculi proinde auctor Deus est, apud quem non erit impossibile omne verbum (Luc: I. v. 37.).

§. 76. *Schol*: Naturae potentiam multis modis potest miraculum superare. 1. In ipsa actione, ut Solem sisti, quemadmodum jussu Josuè factum legitur (Josue X. v. 12.). *Sol contra Gabaon ne movearis, et Luna contra vallem Ajalon; Steteruntque Sol, et Luna:* vel retro agi, veluti ab Occidente in Orientem, sicuti praecibus Isaiæ evenit in confirmationem recuperandae salutis ab Ezechia Rege Juda (IV. Regum XX. v. 11.): *Invocavit Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem lineas.* II. In subjecto actionis, ut cæco nato reddi lumen, mortuo vitam; quod utrumque factum legimus a Christo Domino (Joan: IX. XI.). Esto namque lumen, et vitam natura tribuere possit, cæcis autem, atque mortuis omnino non potest. Quare Jesus Christus, licet plurima fecisset miracula; tunc tamen probatus est Deus, inquit S. Augustinus, cum visus fuit mortuos ad vitam revocare; III. In modo, ordine, et ratione; ut repente sanari ægrotum, sereno Cœlo dari pluvia. Nam licet naturaliter possit ægrotus curari ab infirmitate, repente autem, non potest. IV. in agente; ut hominem scrutari hominum corda. V. In Instrumento; ut luto sanari cæcitatem. Hæc porro sunt opera, quæ naturae vires excedunt. Et quidem primi generis, quoad nos dicuntur contra naturam; Secundi generis, supra naturam; cetera vero præter naturam. Relate vero ad Deum talia non sunt: *Nec enim ista cum fiunt*, ait S. Augustinus (de Gen: ad litt: c. 6.) *contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit; non autem Deo; cui hoc est natura, quod fecerit*

PROPOSITIO II.

Verum miraculum est possibile.

§. 77. *Demon*: Miraculum est opus, quod vires excedit totius naturæ creatæ, non autem vires, et potentiam Entis increati, et perfectissimi; Ergo a Deo potentia in cerata, et infinita vi prædito fieri potest; Adeoque est possibile. Merito S. Augustinus (Lib: XXI. De Civ: Dei c. 8.): *Sicut non fuit impossibile Deo, quas voluit instituere naturas; sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, quas instituit, mutare naturas.*

PROPOSITIO III.

Innumera, et cujuslibet generis, vera miracula patrata sunt.

§. 78. *Demon*: Nam ex authenticis Sacris Scripturis, atque ex testimonio hominum fide dignorum, clarissime constat, in veteri Testamento, per manus Moysis, multa stupenda prodigia, et miracula a Deo patrata fuisse in Ægypto, in quo sola elevatione virgae, modo aquas convertit in sanguinem; modo animalcula innumera produxit; modo aquas Maris rubri divisit ec. (Exodi VII. VIII.) Per Prophetas, aliosque servos suos quoque, Deum, modo cæcos illuminasse, uti Tobiam per manus Tobiæ filii ejus (Cap: XI. v. 13.); modo mortuos suscitasse, ut filium viduæ Sareptanae per manus Eliæ (III. Regum XVII.); Filium Sunamitidis per manus Elisei (IV. Regum Cap. III.); et sic de aliis, quæ passim ibi occurrunt, praeter illa, et numero, et dignitate praestantia, quae in Novo Testamento, aut ab Historics fide dignissimis narrantur; Ergo ec:

PROPOSITIO IV.

Vera miracula in confirmationem falsae doctrinae fieri nequeunt.

§. 79. Prob.: Falsa doctrina ea est, quae, neque a Deo est revelata, neque rectae rationi est consona, sed mala, et erronea; ergo nequit per vera miracula confirmari. Prob. cons. Vera miracula a solo Deo fieri possunt (§. 75.); si ergo miraculis falsa doctrina confirmaretur, a Deo utique confimaretur; atqui Deus est infinita, summa, et prima veritas, quæ nec mentiri (§. 19.), nec fallere potest, aut errore et falsitate delectari; igitur etc.

Objectis adversariorum occurritur.

§. 80. *Objic.* 1. c. 1. Prop: Miraculum est opus quod vires superat naturae creatae; Atqui hoc repugnat; Ergo non datur verum miraculum. Prob: min. Leges naturae sunt ipsissima Dei voluntas, ipsa Dei decreta; sed hæc perverti non possunt, quia immutabilia; Ergo. ec:

§. 81. R. dist: maj: leges naturae sunt ipsa Dei decreta necessaria, n. maj:, libera, conc: Sed ec: dist: min:, decreta Dei necessaria non possunt perverti, conc: min; libera, n. min: cum coseq. Naturae leges sunt quidem ipsa Dei voluntas, non necessaria, sed libera sic, ut quemadmodum ab æterno generaliter statuit, talem in rebus servandum ordinem, ita et ab æterno præfixit, se præter ordinem rebus impressum, aliquando aliud propter finem earum supernaturalem, et sui ipsius, aliquando facturum - Hinc mutatur quidem rerum quorumdam consuetus ordo, operatione miraculorum, sed Deus semper est immutabilis.

§. 82. *Contra.* Atqui, non obstante quod Dei decreta sint libera, adhuc tamen repugnat dari ve-

rum miraculum; Ergo n. r. Prob: subsm. Si miraculum esset opus, vires, et ordinem superans totius naturae creatae, numquam dignosceremus quodnam sit verum miraculum; Ergo etc.: Pr. antec.: Ut dignoscere possemus, aliquod opus esse verum miraculum, deberent nobis innotescere ordo, et leges, et vires omnes naturae creatae; Atqui haec nobis nota non sunt; ergo si miraculum esset etc.

§. 83. R. Ad dignoscendum verum miraculum, omnino opus non est, ut vires omnes naturae creatæ cognoscamus, sed sufficit ut sciamus, ex ipso rationis lumine, communi hominum judicio, atque experientia, quaedam, evidentissime, vires naturales, et consuetum naturae ordinem excedere. Ita esto ignoremus ad quae extendere se possit hominum, in sanandis morbis sagacitas, atque industria; scimus tamen, morbos, atque praesertim obstinatas, ut ajunt infirmitates, solo nutu, verbis, tactu, imperio, et quidem extemplo, naturaliter sanari non posse. Haec porro vires naturae praetergredi dignoscuntur; adeoque vera miracula sunt.

§. 84. Contra: Atqui ex iis, quae ordinem naturae excedere dignoscuntur, nequit verum miraculum definiri; ergo n. r. Pr. subs.: Virgas solo nutu in serpentes mutare; aquam in sanguinem statim convertere, ingentem ranarum multitudinem in instanti producere, certe, naturae vires, quantum nobis notum est, excedunt. Sed haec, miracula non sunt, cum a Magis etiam Pharaonis perpetrata esse legantur; ergo etc.

§. 85. R. conc. maj. dist. min.: Sed haec, uti a Moyse facta fuerunt, miracula non sunt, nego min. ut facta fuerunt a Magis Pharaonis, miracula non fuerunt, conc. min., et nego consm. Nam Magi Pharaonis, aut apparenter tantum, et per incantationes, et arcana quaedam, spectra, et imagines inanes ser-

pentium, ranarum etc. oculis intuentium objecerunt; aut si veros serpentes, verum sanguinem, verasque ranas exhibuerunt, neque illico ranas procrearunt, neque aquam in sanguinem, aut virgas in serpentes converterunt; sed Daemones, aliunde, verorum serpentium semina asportarunt, atque in virgas immiserunt, unde serpentes apparuerunt; nisi potius dicere velimus, virgas projectas, virtute Daemonum fuisse, sublatas momento temporis, et serpentes (quorum in Egypto ingens copia erat) in locum earum fuisse substitutos. Moyses autem non sic; nam virtute Dei, veros serpentes, verasque ranas procreavit; vereque aquas in sanguinem convertit.

§. 86. *Obji.* Contra II. Prop. Probati historici referunt, ab infidelibus, et ab haereticis, non pauca facta fuisse prodigia, et miracula; Atqui illorum doctrina falsa erat; Ergo etc.

§. 87. R. quae ab historicis referuntur miracula, sive ab infidelibus, sive ab haereticis patrata, aut omnino conficta fuerunt, et ad captandam vulgi benevolentiam erga illos, quos miracula patrasse perhibebatur, aut si opera mirabilia fuerunt, vera miracula non erant, quippe vires naturae creatae non excedebant. Sane Livius ipse, qui plura miracula a Gentilibus patrata refert, se illis fidem non habere declarat in Proemio sui Operis; idipsum faciunt Valerius Maximus, Tacitus, Plutarchus, aliique. Quoad haereticos; voluissent ipsi miracula patrare, at non potuerunt. Sic tentavit Lutherus, referente Genebrando, ejicere Diabolum de quadam puella, at non potuit, et ab ea fere ad necem petitus fuit. Tentavit Calvinus, fictum mortuum resuscitare, sed revera mortuum reddidit. Quare optime dici potest, quod (Lib: de prescript. c. 30.) ait Tertullianus: *Hæretici ex adverso Apostolos imitantur; illi de mortuis vivos faciebant; isti de vivis mortuos faciunt.*

§. 88. *Contra* · Atqui vera miracula ab infideli-

lus patrata sunt; ergo n. r. Prob. subm. Caeco visum restituere, mortuos suscitare, certe inter miracula primi ordinis numerantur. Atqui caecus fuit ab Esculapio curatus, puella mortua ab Apollonio Thyanaeo (ut refert Philostratus) resuscitata, et Samuel Propheta, a Pythonissa (ut Scriptura commemorat) a mortuis evocatus; Ergo etc.

§. 89. R. admissa maj., negando min. cum consa. Ac primo: falsum omnino est, verum caecum ab Æsculapio fuisse curatum, sed oculis tantum male effectum, idque ope medicaminum, ut eruditi omnes fatentur. Secundo: falsa esse, atque inventa, quae de Apollonio narrantur, ex eo vel maxime patet, quod Philostratus ea scripsit post centum viginti, et amplius annos, ex quo evenisse narrat. Deinde de puella resuscitata loquens, fatetur se dubitare, num revera mortua fuerat, nec ne, dum innuit, eam forte gravi lethargo fuisse oppressam. Quod vero ad Pythonissam attinet, semper disputatum est inter Patres, atque Doctores, num illa Samuelis apparitio Sauli facta, fuerit vera, vel potius ficta. Verum, esto concedatur, Samuelem Prophetam revera evocatum a mortuis, cum Saule sermonem habuisse, quid inde? Ex Scriptura ipsa facile eruitur, Samuelem non ope Pythonissae, sed a Deo fuisse resuscitatum. Primo enim apparitio Samuelis praecessit quamcumque invocationem Dæmonis; quippe statim ac Saul dixit mulieri: *Samuelem mihi suscita*, vidit ipsa Samuelem resuscitatum; Secundo: Si ob invocationem Pythonissae Samuel apparuit, cur ipsa obstupuit, atque exclamavit timore perterrita, Deos e terra surrexisse? Tandem si ope Dæmonis a Pythonissa invocati, facta fuit illa Samuelis apparitio, quomodo Sauli adamussim evenerunt, quae Samuel tunc ei praedixit? Numquid potest Daemon futura libera praedicere, quae comprobentur eventu? Haud sane. Concludendum ergo etc. Verum vid: S. Aug: T. 3. q. ex Vet. Test: 27. mihi pag: 247. c: l.

§. 90. *Contra.* Atqui vera miracula egit Apollonius Thyanæus; Ergo n. r. Prob: subm. Præter laudata in superiori argumento, hæc de Apollonio recenset Philostratus, nimirum 1. Matrem Apollonii a Proteo Egyptiorum Deo didicisse, ipsum ex ea nasciturum: 2. In Apollonii nativitate, fulgur apparuisse, ipsumque de Cælo in terram prolapsum, iterum in Cælum advolasse; atque virgines auditas fuisse canentes: *Veni de terra*, *veni in Cælum* 3. Apollonium futura novisse, et non raro quoque prædixisse 4. Ad eum, tamquam ad oraculum, magnum factum fuisse populorum, ex omni gente, concursum; 5. Nullum fuisse miraculorum genus, quod non patraverit Apollonius, ita ut post mortem, divinos honores a multis populis obtinuerit, et pro Deo habitus fuerit; Ergo ec:

§. 91. R. Quæcumque de Apollonio Thyanaeo narrat confidenter Philostratus, aniles fabellae sunt, vulgi lascivientis præjudicia, et delirantium somnia, quibus proinde nulla fides adhibenda est. Cum namque videret Philostratus, Christianam Religionem per omnes gentes, rapido cursu propagari, atque altius in dies radices agere, ut ostenderet, gentilem supertitionem nihil habere quod invideret ei, quæ de Christi Domini vita dicebantur, malitiose curavit Apollonio aptare: Verum merito ab eruditis nedum, sed ab ipsis, qui vel parum ratione utuntur, exsibilatur. Ceterum dato etiam, quod aliqua de Apollonio vera narrentur, quid inde? vera miracula dicenda illa non sunt, sed mira, quæ naturae creatæ vires non excedebant. Et sane, nonne Simon Magus, talia et tam mira, magicæ artis ope, faciebat, ut ei omnes, qui erant in Samaria auscultarent, a minimo usque ad maximum, dicentes (Act: VIII. v. 10.): *Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna?* Et tamen videns signa, et virtutes maximas fieri per Apostolum Philippum, stupens admirabatur, atque fidem Chri-

sti amplexus est, sperans hac via, potestatem obtinere variis linguis loquendi, et vera, solidaque miracula patrandi. Quare ut talem potestatem ambitiosus homo, et Diaboli minister obtineret, veritus non est, pecuniam Apostolis offerre. Igitur quæ de Apollonio a Philostrato narrantur, aut sunt omnino conficta, aut vires naturæ creatæ non excedebant.

§. 92. *Dices.* Si ope Daemonis quandoque adeo mira fiunt, ut si fieri posset, in errorem ipsi electi inducerentur, quomodo vera miracula a falsis discerni possunt, ne decipiamur?

§. 93. Plures veri miraculi notas assignant Patres, ac Theologi. Audiatur hic brevitatis gratia solus Seraphicus Doctor, qui (I. P. Centil. §. 14.) sic ait: « Possunt discerni Diaboli miracula a miraculis » Dei veris quatuor modis; scilicet ex parte *princi-* » *palis agentis.* Nam in miraculis Dei operatur vir- » tus potentiae infinitae, in miraculis Diaboli, virtus » creaturae. Ex parte *ministri*, quia miracula Dei » fiunt per publicam justitiam, scilicet per fidem ju- » stificantem, quae publice praedicatur; vel signa pu- » blicae justitiae, ut in peccatoribus, qui per fidem » aliquando sunt miracula operati Miracula Diaboli » fiunt per privatos contractus, et arcana quaedam, » quia sic inventores artis magicae cum Daemonibus » pepigerunt. Ex parte *finis*, quia miracula Dei fiunt » ad hominum utilitatem, et Dei gloriam; miracula » Daemonum, et Magorum ad deceptionem, et frau- » dem. Ex parte *facti*, quia miracula Dei sunt ex- » cellentia, ut suscitare mortuos, illuminare caecos, » et similia; miracula Diaboli sunt vilia.

§. 94. *Coroll.* Inter characteres ergo extrinsecos Doctrinæ revelatæ computari debent miracula. Nam miraculum est effectus singularis, qui supra Naturœ vires, vel præter statutum rerum ordinem fit (§. 73.); proinde a solo Omnipotenti Deo, cujus imperio cunctæ res creatæ, et totius Naturæ creatæ ordo subsunt,

fieri potest (§. 72.). Iam vero Deus falsitates atque mendacia abominatur (§. 53.), neque miracula efficere post in confirmationem falsae doctrinae (§. 79.) Ergo etc; Adeoque semper ac constet, aliquam Doctrinam veris miraculis confirmatam esse, illam veluti infallibilem, atque a Deo revelatam habendam esse; et consequenter etc. Cum ergo innumeris miraculis Christiana Religio fuerit, prae aliis comprobata (§. 78.)., profecto ipsa est a Deo revelata. Ad rem aiebat Richardus a S. Victore (De Trin: C. II.): « Domine si error est, a te decepti sumus: nam » ista in nobis tantis signis, et prodigiis confirmata » sunt, et talibus, quae nonnisi per te fieri pos» sunt » (1).

CAPUT V.

De variis Religionibus, et an in sola Christi Religione motiva credibilitatis reperiantur.

§. 95. *Animad.* Quatuor sunt etiamnum in Orbe existentes Religiones, quarum unaquaeque sua jactitat credibilitatis motiva; nempe *Pagana*, *Judaica*, *Mahumetana*, et *Christiana*. Prima ante Christi adventum, apud omnes fere Nationes late vigebat; quippe Idolis plenus erat Orbis; at modo vix apud Sinas, Japones, aliosque barbaros locum habet. Secunda a Moyse promulgata, in Judaea floruit; unde David

---

(a) *Permulta de miraculis habent Auctores. Inter Recensiores legantur* Thomas Maria Cerboni *de Relig. Revel. Tom.* I. *lib.* 1. *q.* 2. *art.* 2. Simon *Tract. de Relig. lib.* 2. *art.* 4. Inst. Theol. Lugd. (*si licet*) *Tom.* 1. *Diss.* 2. *cap.* 4. *art.* 1. L'Abate Bergier *Dizion. ragion. di Teol. par.* Miracolo. L'Abate Nonnotte *Dizion Filos. della Relig. par.* miracoli.

(Ps.: 75.): *Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen eius*; nunc autem apud Judaeos quosdam, hac illac dispersos, invenitur. Tertia Mahumetem impostorem celeberrimum agnoscit auctorem. Quarta tandem a Domino Jesu Christo vero Deo et homine, in plenitudine temporis, in Bethelem Judae, ex Maria Virgine nato, fundata fuit.

§. 96. *Schol.* Atque hac quatuor Religiones pugnant inter se. Judaica quidem pugnat cum Christiana, quia haec Christum advenisse fatetur, eumque colit, illa vero Christi adventum negat, nec eum veneratur. Pagana ambabus adversatur, quia pluralitatem Deorum admittit, ac veri Dei essentiam destruit. Mahumetana tandem, omnes supradictas respuit, atque Deo Magno Mahumetem adnectit; unde cum omnes non possint esse simul verae, merito controvertitur: num motiva credibilitatis in sola Christi Religione reperiantur?

§. 97. *Coroll.* Ex his ergo Religionibus una necessario debet esse vera, cetera falsae. Deus namque unus, et verax, et Sanctus est; nequit proinde Religionibus delectari, quae sibi invicem adversantur.

PROPOSITIO I.

In Pagana Religione motiva credibilitatis non reperiuntur.

§. 98. Prob.: Et primo. Religio Pagana Religioni naturali opponitur, quippe Deorum pluralitate unitatem Divinae essentiae destruit; fato libertatem homini adimit, ac Dei providentiam e medio tollit. Secundo non habet doctrinarum consensum; quinimo contradictionibus plena est. Modo Deum omnimoda perfectione praeditum dicit, modo Deos proponit adorandos opera manuum hominun; modo virtutem praedicat sequendam, vitiaque detestanda; modo vitia ipsa

commendat, et veluti veneratur in tot Divinitatibus vitiis abominandis inquinatis. Tertio sanctitate caret: Quae namque Sanctitas in ea religione esse potest, in qua homicidia, et impudicitiae, et innumera pene facinora contra legem ipsam naturalem, non solum adprobantur, sed ad cultum religiosum Divinitatibus ipsis praestandum adhibentur? Quarto, nullae in ea sunt prophetiae, eventu comprobatae; nec tandem, quinto, miracula. Quae namque jactitantur Deorum fatidicorum oracula, merae imposturae fuerunt, et fraudes aut Daemonum, aut paganorum sacerdotum; aequivoca proinde, et in omnem eventum accomodata; et miracula vel penitus conficta, vel opera fuerunt, quae vires naturae creatae non excedebant (§. 89.).

PROPOSITIO II.

Religio Judaica, qualis modo est, motivis credibilitatis destituitur.

§. 99. Prob: Religio Judaica, ut nunc est, sibi ipsi contradicit; Nam plures Prophetias de Christo habet, et credit; interim obstinatissime negat, eas esse jam eventu adamussim in Jesu Christo comprobatas, cum tamen omnino innegabile sit, et evidens, morali evidentia, eas omni ex parte fuisse impletas. Deinde vox Prophetarum non amplius in ea auditur, neque ulla miracula amplius in ea fiunt. Ulterius, etsi ea, pro tempore, quo data fuit, pura, et Sancta erat, atque Deo accepta, adhuc tamen talis non existit, sed a Deo abrogata potius, et abolita; unde nec Templum habet, nec altare, et ejus cultores, *ut termini impietatis, et populus, cui iratus est Dominus usque in aeternum* (Malac. 1. r. n.), hac illac, per varias Terrae partes profugi, atque dispersi, vivunt sine Civitate, sine Rege, sine Sacerdote. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Religio Mahumetana motiva credibilitatis non habet.

§. 100. Prob.: Primo quidem haec Religio, religioni naturali opponitur. Nam indifferentismum promovet, docendo unumquemque in sua Religione aeternam beatitudinem consequi posse; adulterium, incestum, vitium contra naturam, et alia, lege naturali prohibita, licita esse affirmat; insuper uxorum pluralitatem concedit. Deinde sibi ipsi contradicit, dicit enim, Templum Caaba fuisse ab Abrahamo conditum; Mariam Virginem Christi matrem, sororem Moysis fuisse; et ut alia taceam, quae apud Thyrsum Gonzalez (II. p. manud:) legi possunt, videtur admittere Christi Divinitatem, et tamen vocat Cristianos infideles, et Paradisum promittit iis, qui in bello adversus eos distincti fuissent. Ulterius omni specie etiam sanctitatis caret; quippe Deum credit corporeum, et omnium peccatorum causam; Angelos beatos peccare, eosque esse occidendos; luxuriam permissam esse tenet, et alia, quæ honestatem dedecent concedit. Sufficit dicere, non aliam felicitatem æternam suis sectatoribus promittere, quam eam quae sensualibus voluptatibus constat. Tandem nulla in ea sunt miracula; prophetiae nullae eventu comprobatae. Quinimo ipsemet Mahumetes (Cap: XV. Alc.) affirmat, se ad miracula facienda a Deo missum non fuisse. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

In Religione Christiana motiva credibilitatis reperiuntur.

§. 101. Prob.: Et primo, quacumque ex parte emplatur, nihil in ea, ne jota quidem inveni-

tur, quod sit rectae rationi contrarium, vel aliquo modo ab ipsa alienum. Omne namque quod docet aut credendum, aut faciendum, nedum est conforme naturali religioni, sed distincta quoque explicatio, ac perfectio ejus. Quod si mysteria supra rationem continet, hoc nihil rationi officit, immo ei est utile, quippe eam adjuvat, et ejus defectus supplet. Secundo quid in ea non rectum, non uniforme, non consentaneum reperitur? Ejus veritates adeo sunt connexæ, atque inter se consensientes, ut licet a pluribus, et diversis, ac remotissimis in locis existentibus fuerint literis consignata, veluti tamen ab uno conscriptae videantur; et adeo observari omnes, et singulæ merentur, ut qui in una deliquerit, fiat omnium reus. Sanctus ejus Auctor Jesus Christus, nec non sanctitatis omnis fons et origo, quid non docet, aut proponit, quod sanctum non sit, atque ad sanctitatem consequendam non ducat? Debita officia erga Deum, erga proximum, erga seipsum, homini adeo excellenter exponit, et tali mira claritate dictat, ut vel ipsi obstinatissimi ejus contradictores, aut victas ei dederint manus, aut confusione cooperti, abscesserint. Religio amoris, nihil aliud quam amorem docet, amorem vult, amorem præcipit, et licet plura alia videatur præcipere, tota, duobus his præceptis continetur, *Dilectionis* nempe *Dei*, et *proximi*. Deinde quot Prophetiis eventu completis fundata fuit, nutrita, et usque adhuc gloriosa non existit? Quot tandem miraculis nedum confirmata, sed omni tempore illustris reddita? miraculis, inquam, veris, factis nempe nullis præsidiis, nullis medicaminibus, nulla rei cujuslibet applicatione, sed vel solo, et simplici nutu patratis, vel signo crucis, idque non clanculum, aut coram paucis imperitæ plebis, sed coram omnibus pubblice, et in veritatis testimonium. Ergo etc.

PROPOSITIO V.

Inter omnes Religionis Christianæ Societates, sola Romano Catholica characteribus revelationis gaudet.

§. 102. Prob.: Nam in sola societate Romano. Catholica, non autem in aliis observantur prænotati (§. 99.) revelationis characteres. Ergo etc. Ultra quamquod in ipsa sola reperitur legitima Episcoporum successio, *quos nempe Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (Act: XX. v. 28.), qui per legitimam ordinationem, non interrupta serie, ab Apostolis trahunt originem, suamque missionem a Christo factam probant; qui doctrinam proponunt ab Apostolis, et a Christo acceptam; quibus denique divinæ revelationis depositum traditum, ea lege fuit, ut in eo custodiendo infallibilis Dei assistentia numquam sit defutura; non sic autem alii Christiani diversarum Sectarum, et Societauum, qui extra Romanam societatem sunt positi. Isti namque non a Christo, et ab Apostolis missionem suam ostendunt, sed ab hominibus obstinatis, atque obcæcatis, ab Ecclesiæ Christi communione dejectis, veluti Nestorio, Eutychete, Luthero, Calvino, aliisque hujus furfuris. Insuper in aliis Societatibus prædictis puritas Christianæ doctrinæ pluribus erroribus commacolata fuit, nec inveniuntur in illis viri, omnigena sanctitate præditi, qui miraculis suam probitatem, atque vitæ integritatem comprobari a Deo mereantur (§. 87.), quomodo frequens est in Catholica Romana societate (§. 78.); Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 103. *Objc.* C.° IV. et V. Prop. Inter characteres Divinae revelationis maxime eminet Sacrarum Scripturam unitas, atque conformitas; Atqui haec in Reli-

gione Christiana non invenitur; Ergo falsa est propositio. Prob: min. Quicumque voluerit legere Libros, in quibus Divinam revelationem contineri, dicunt Catholici, inveniet contradictiones, et antilogias non paucas; Scriptoresque illarum sibi invicem repugnare: veluti ex. gr. (Sap: I. v. 3.): *Deus mortem non fecit*: cum alibi (Job: XVIII. v. 12.), dictum fuerat; *Primogenita mors*. Summa namque contradictio est, Deum non fecisse mortem, et fecisse mortem primogenitam; Ergo etc.

§. 104. R. dist: antec. Quicumque etc:, apparentes, conc:, reales, n. antec; admitto textus, exemplo adductos, et nego consm. Primo intuitu Sacras Scripturas legenti, multa passim occurrunt, quae contradictoria, et invicem pugnantia apparent, cum interim sibi invicem convenire optime inveniantur, statim ac, nempe, Ecclesia duce, Sanctisque Patribus facem praeferentibus, interpretentur. Ita in argumento, allata sibi contradicere videntur, cum de facto mirifice ad invicem conveniant. *Deus mortem non fecit*; et recte quidem; nam licet homo fuerat, conditione naturae, mortalis creatus, Dei adhuc beneficio fuisset immortalis, si in statu innocentiae perseverasset. Interim *primogenita mors*; sed cujus primogenita? Dei! nequaquam; Sed peccati. *Per unum* namque *hominem*, ait Apostolus (Rom: V. v. 12.) *peccatum intravit in Mundum, et per peccatum mors*, quae *in omnes homines pertransiit*. Quae igitur contradictio est in laudatis textibus, si mors, non Dei, sed primogenita peccati est?

§. 105. *Contra*. Atqui reales, et verae contradictiones, non jam apparentes in praefatis Libris, inveniuntur; Ergo n. r. Prob: subsm. In Libro Proverbiorum (Cap: XXVI. v. 4.): haec leguntur. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*; et statim subjungitur (v. 5.): *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sib sapiens*

esse videatur. Atqui haec sibi invicem manifeste opponuntur; Ergo etc.:

§. 106. R. dist. maj: Et duae laudatae auctoritates accipiendae sunt in eodem sensu, et sub eodem respectu, n. maj; diverso, conc: maj; et dist: min; Atqui etc:, si accipiantur eodem sensu, et sub eodem respectu, conc:, secus, n. min: cum consa. Si laudatæ duæ auctoritates, uti leguntur, absque ullo respectu ad tempus, personas, circumstantias, et in eodem sensu, accipiuntur, contradictionem continere compertum est. Sed non ita accipiendæ sunt, sed hoc sensu: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*: Hoc est: (A Lap: in h. l.) « Cum stultus stulta, in- » sana, inhonesta, erronea, etc: effutit, tu cave ne » similia effutias; cum ille te probris, et maledictis » appetit, cave ne similia in illum regeras: sic enim » in vitio illi similem te efficies. *Responde* tamen *stulto* » *juxta stultitiam suam*; idest ejus vecordiam, iram, » scurrilitatem, convitia, errores, etc: sapienter cor- » ripe, et cum ratione redargue, ut stultitiam suam » agnoscat, et agnitam corrigat », *ne* videns, se non esse correptum, et bene dixisse, et *sibi sapiens videatur*. Porro sic explicatæ laudatæ auctoritates evanescit omnis contradictio, quae inter eas videbatur inveniri.

§. 107. *Contra*. Atqui in Religione Christiana res rivelatæ inveniuntur, quæ quocumque sensu, et sub quovis resqectu accipiuntur, contradictoriæ sunt; Ergo n. r. Prob: subsm. In Ecclesiaste (Cap: VII. v. 16.) scriptum legitur: *Iustus perit in sua justitia*; et apud Ezechielem (Cap. XVIII. v. 22.): *In sua justitia, quam operatus est, vivet*; Atqui hæc, nempe justum perire in sua justitia, et vivere in sua justitia, invicem quoad idem opponuntur; Ergo contradictoria sunt; adeoque etc.

§. 108. R. dist: maj: In Ecclesiaste etc:, et in priori auctoritate verbum *perit* significat mortem temporalem, in secunda vero verbum *vivit*, vitam signi-

ficat spiritualem, quam justificatione adquirit homo, conc:, secus, n. maj., nego min: in sensu datae distinctionis; et utramque consm. Quod justus pereat in sua justitia, et homo justificatus, in sua justitia vivat, nulla certe contradictio est. Nam cum justus dicitur perire in sua justitia, intelligitur, illum quandoque mori in juventutis flore, cum impii diu vivere, et usque ad senectam feliciter vivere, non raro permittantur; idque justo Dei judicio, nè scilicet aut justus diu vivens, diu hujus vitæ calamitatibus affligi sinatur, aut periculo exponatur, qui ejus intellectus a malitia immutetur; aut morte sua propter justitiam, testimonium Fidei sollèmnem præstet; cum vero homo in sua justitia vivere dicitur, intelligitur, illum vivere vita spirituali, et gratiæ in Dei amicitia, et consortio.

§. 109. *Objc.* II. contra eamdem. In Christiana Religione multa promittuntur a Deo, quæ tamen numquam adimplentur; Ergo etc. Prob: antec. Psalmo (XXXIII. v. 21.), inquit Propheta David: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*; et tamen de justis, atque bonis fidelibus loquens S. Paulus, scribit (Heb: XI. v. 21.), *quod lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt*; Ergo etc.

§. 110. R. Deus ille qui potest efficere ut capillus de capite servorum suorum non cadat, efficere quoque potest, ut ossa eorum, licet baculo ligneo, vel ferreo percutiantur, integra, et minime contrita persistant; id quod in pluribus Martyribus evenisse, Deo ipsorum ossa custodiente, legimus. Quod si in hac vita mortali, servorum suorum ossa conterere permittit, ne unum tamen ex illis perire sinet in nihilum, quod non illis diligenter custodiet, et suo tempore cum magna gloria in resurrectione restituet. Nihil est ergo in Christiana Religione, quod a Deo sit promissum, et non exacte impleatur.

§. 111. *Contra*. Atqui revera sunt in Christiana Religione, quæ fidenter promittuntur, at non adimplentur; Ergo n. 1. Prob: subsm. In Libro Proverbiorum (Cap: X. v. 3.) habetur: *Non affliget Dominus fame animam justi*; et tamen justus est Lazarus, et affligitur fame, ita ut saturari cuperet de micis, quæ cadebant de mensa Epulonis, et nemo illi dabat (Lucae XVI. v. 20.); Etsi, quot ex Sanctis Martyribus fame consumpti non fuerunt? Ergo etc.

§. 112. R. Cum in Veteri Testamento promissiones, quæ a Deo Iudæis fiebant, nonnisi de rebus temporalibus, ut plurimum essent, in justis illius temporis, promissio in argumento laudata, ordinarie implebatur, nempe non permittebat, Iudaeos justos, fame affligi. In novo autem Testamento, cum Deus, Christianis justis, non promiserit opum temporalium copiam, sed spiritualium divitiarum abbundantiam, si permittit quandoque fame eos affligi, copiam tamen alimoniæ spiritualis, puta gratiæ, et consolationum cælestium, eis subministrat, eorumque animam pascit, roborat, lætificat, pinguefacit. Promissis enim stat, qui pro re parva, v. g. danario, quem promisit, dat majorem, puta aureum. Igitur Deus promittens temporalia, si pro illis substituat spiritualia, quæ longe majoris sunt momenti, utique promissis stetisse dicendus est. Cæterum etiam in Lege nova, Deum non permisisse fame materiali justos affligi, in comperto est, apud omnes. Quod si ad id demonstrandum omnis ratio deesset, illud solum sufficeret, quod totus Orbis stupens miratur, quod scilicet, tot millia Seraphici P. S. Francisci Assisensis Religionem profitentes, toto Terrarum Orbe existentes, (qui nullius rei habent dominium, nullosque redditus, profitentur que altissimam paupertatem) Deus sic alit, ut nihil eis desit ad quotidianam vitæ substentationem. Falsum igitur omnino est, in Religione Christiana, promissa a Deo facta, non adimpleri.

§. 113. *Contra.* Atqui multa promissa in Christiana Religione, omnino non adimplentur; Ergo redit argumentum. Prob. subsm. Christus ipse Religionis Christianæ auctor, hanc suis fidelibus perpulchram fecit, amplamque promissionem (Marci XVI. v. 16.): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit: . . signa autem, eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis; serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt;* Atqui hæc promissio, ut constat, non adimpletur; Ergo, aut dicendum, in Religione Christiana veram Fidem deesse; aut in Religione Christiana multa promissa non adimpleri; sed prius est falsum; Ergo secundum est dicendum; Adeoque etc:

§. 114. R. distin: maj: Christus etc:, generatim, et omnibus, qui Fidem susciperent, durante eo tempore, quo id necesse erat, ut Fides Catholica, et Christiana Religio stabiliretur, atque propagaretur, con: maj: generatim, et pro omnibus, quolibet in tempore, n. maj.; et dist. min: Atqui etc., non adimpletur generatim, et in omnibus etc., conc: min; peculiariter, et in aliquibus, n. min: Ergo etc., nego utramque consm. Quoniam Christiana Religio super destructam Idololatriam, et reprobatam Sinagogam statui debebat, signis, atque miraculis, (quæ sunt veræ Religionis characteres (§. 94.),) opus fuit, ut hoc modo Divina, et verax ab infidelibus cognosceretur, atque amplecteretur. Hinc Jesus Christus potestatem hanc faciendi signa, et prodigia, non solum Apostolis, sed et aliis quoque fidelibus, in primordio Ecclesiæ, concessit. Verum constabilita toto Terrarum Orbe Fide Catholica, cum hac potestate opus non esset amplius, cessare cæpit, cessavitque, non ita tamen, ut penitus deesset; cum in omni aetate, quoties opus fuit, tot miracula per manus virorum Sanctorum, ac mulierum facta fuerint, ut si quis ea negare vellet, foret et ipse miraculum.

Apposite S. Gregorius (Hom: XXIX. in Evang:), de hac re loquens ait: « Numquidnam fratres mei, » quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed » haec necessaria in exordio Ecclesiae fuerunt. Ut » enim ad Fidem cresceret multitudo fidelium, mira» culis fuerat nutrienda. Quia et nos cum arbusta » plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quous» que ea in terra jam coaluisse videamus: et si se» mel radicem fixerint, irrigatio cessabit »; Igitur etc. (1).

CAPUT VI.

De Divina revelatione litteris consignata, et de Libris, quibus eam contineri credimus.

§. 115. *Animad:* Divinam revelationem non extare literis consignatam, omnes Athei, atque Gentiles contendunt. Hi quippe cum divinam Scripturae Sacrae inspirationem negent, omnes illius Libros, humana dumtaxtat industria, immo insigni fraude, atque improbitate conscriptos fuisse, calumniantur. Quod si aliquam revelationem admittunt, nolunt esse illam Christianorum. Gentiles, et Atheos sequuntur Deistæ,

(1) De veritate Religionis Christianæ citati (§. 95. (a)) superius Auctores agunt, quibus adde Abbatem Hovtteville in opere 4. volum. in 8., quod inscribitur. *La Religione Cristiana dimostrata con fatti.* Tyrsum Gonzalez, in opere inscripto: *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum parte* 1. P. Cajetanum Maria Morati in Libro cui titulus: *La Verità della Religione Cristiana e Cattolica dimostrata ne' suoi fondamenti caratteri etc.* B. Alphonsum de Ligorio *Verità della Fede*, D. Alexandrum Tassoni: *La Religione dimostrata, e difesa* Tomo I.

qui nullam Divinam revelationem cognoscunt (§. 10.). Iudaei tandem admittunt quidem revelationem, eamque tuentur, sed illam solum, quae in Veteris Testamenti Libris continetur.

PROPOSITIO I.

Divina revelatio literis consignata est.

§. 116. Prob.: Divinam revelationem esse literis consignatam, est materia facti, quae non potest aliunde melius comprobari, quam vel auctoritate illorum, qui eam conscripserunt, vel aliorum historicorum, qui fide digni sunt: Si namque quaereretur Ex: gr.: An Cicero scripserit pro Sylla, et contra Catilinam, non aliunde melius veritas illucescere posset, quam ex testimonio historicorum, vel ex monumentis ab ipso Cicerone relictis. Atqui viri omni exceptione majores, quibus revelatio facta et commissa fuit, testantur eam literis consignatam fuisse; Ergo etc. Prob. min.: Omnes fere Auctores Librorum tam Veteris, quam Novi Testamenti fidem indubiam faciunt, se res revelatas scripsisse, uti legentibus clarissime patet; igitur etc.

PROPOSITIO II.

Divina revelatio in Libris tam Veteris, quam Novi Testamenti continetur.

§. 117. Prob.: Divina revelatio in Libris Veteris, et Novi Testamenti continetur, si doctrina in dictis his Libris contenta, omnes habet Divinae revelationis characteres; Atqui reyera ita est; ergo etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes. Primus inter characteres doctrinae revelatae, est, ut Religioni naturali non opponatur; Atqui talis est doctrina, quae in

Veteris, et Novi Testamenti Libris continetur; Ergo etc. Prob: min: Quacumque ex parte prædicta doctrina consideretur, sive nempe quoad ea quæ pertinent ad Fidem, sive quod ea quæ pertinent ad mores, nihil umquam reperire est, quod cum recta ratione pugnet. In illa namque perfecta idea Dei, ejusque attributorum, et operum habetur; in illa præcepta, et consilia sunt omnimode, rectæ rationi conformia; in illa jura uniuscujusque adeo perspicue proponuntur, et explicantur, ut admirationem faciant. Ergo etc. Secundus character est mira consensio cum seipsa; Atqui hæc nullibi tam perfecte invenitur, quam in illa doctrina: Etenim, perbelle Augustinus (Lib: 18. de Civ. Dei C. 41.) de mira ista consensione Scripturarum loquens, ait: « Auctores nostri, in quibus non frustra Sacrarum » literarum figitur, et terminatur Canon, absit, ut » inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito cum illa scriberent, eis Deum, vel per eos locutum, non pauci in scholis, et gymnasiis litigiosis » disputationibus garruli, sed in agris, atque urbibus cum doctis, atque indoctis tot, tantique populi » crediderunt. Ipsi sane pauci esse debuerunt. Neque » enim in multitudine Philosophorum, qui labore » etiam literario monimenta suorum dogmatum, reliquerunt, facile quis invenerit, inter quos cuncta » quæ sensere conveniant » Ergo etc. Tertius character Divinæ revelationis est doctrinæ puritas, atque sanctitas. Atqui talis est doctrina quæ in Veteris, et Novi Testamenti libris continetur. Quid namque in illa doctrina non sanctum, atque non purum invenitur? Quidquid præcipitur in sola charitate solidatur, adeoque non est nisi a Deo, qui ignis, et charitas est. Quæcumque in illis scripta sunt, sanctitatem suadent, sanctitate redundant, ad sanctitatem, et perfectionem in hac vita, ad æternam felicitatem, ducunt in alia. Omnia namque in Scripturis contenta, a Deo inspirata sunt, ut sint nobis ædificationi, ut

per patientiam, et consolationem Scripturarum, spem habeamus, ut credamus, et bonum opus absque intermissione facientes, vitam habeamus æternam. Ergo etc. Et quid dicam de aliis Divinæ revelationis characteribus, Prophetia nempe eventu comprobata, et miraculis? Adeo isti duo characteres, doctrinæ, quæ in Veteris, et Novi Testamenti libris continetur, proprii sunt, ut merito in meridiana luce cæcutire dixeris, quotquot in omni fere pagina talium Librorum illos non legant. Ergo etc

§. 118. *Obij.*: Plura in Veteris, et Novi Testamenti Libris leguntur, quæ dissona sunt a recta ratione; plurima Deo indigna; et sanctitati ac puritati opposita, non pauca; Sic, ex: gratia, dicitur in Genesi (Cap: I. v. 16.), Deum fecisse duo luminaria magna, Solem nempe et Lunam; cum tamen hæc sit omnium planetarum minimus.

II. Quod pænituit Deum fecisse hominem in Terra (Ib. C. VI. v. 6.), tactumque fuisse dolore cordis intrinsecus.

III. (Ib: Cap: XI. 55.) dicitur, Deum descendisse, ut videret Civitatem Babelicam, et turrim, quam ædificabant filii Adam, quasi de Cælo aspicere non posset, aut ei aliquid novi accidisset.

IV. In Deuteronomio (Cap. XXIII. v. 19.) legimus, Israelitas fœnerare posse alieno; quod quam sit turpe, et justitiæ contrarium, nemo non videt.

V. Tandem in Novo Testamento, dicitur (Lucae VIII. v. 21.) Jesum finxisse se non agnoscere suam matrem, et (Joan: IV.) in nuptiis Canæ Galileæ exprobasse ei, propterea quod dixerat, *vinum non habent*; Ergo etc.

§. 129. R. Ad singula. Et ad primum, quod attinet: nihil contra rationem scripsit Moyses, cum dixit, Lunam esse luminare majus; loquebatur ille, non ut Philosophus, sed ad vulgi modum, sicuti nos ipsi loqui solemus. Quia ergo oculo vulgi spectatoris Luna,

magna apparet inter alios planetas, luminare magnum appellavit.

Ad secundum: Loquitur ibi Scriptura modo humano. Neque enim Deus, ait S. Ambrosius (Lib: de Noe, et Arca C. 4.) « cogitat sicut homines, » ut aliqua ei nova succedat sententia, neque irasci» tur quasi mutabilis; sed ideo hæc leguntur, ut ex» primatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ di» vinam meruerit offensam: tamquam eo usque in» creverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter » non movetur aut ira, aut odio, aut passione, » provocatus videatur ad iracundiam ».

Ad tertium: Ideo dicitur Dominum descendisse ut videret Civitatem, non quasi Deus nesciendo, quod agerent filii Adam id fecerit, sed ut exprimatur, tunc Deum se patefecisse præsentem, miraculo confusionis linguarum, et videre insanam ædificationem, qui dissimulando hucusque videri poterat quasi absens, et non videre, quæ gerebantur. Scriptura namque, ait D. Thomas (In Cap: IX. Gen.) « de Deo loquitur » quasi de uno temporali Domino, qui de sublimi » loco suo descendit ad videndum opera subditorum » suorum, ut corrigat, et reformet quidquid est re» formandum, et corrigendum in eis ».

Ad quartum. Jure quidem naturæ probibita est usura, Deo autem supremo rerum omnium Domino permittente, licuit Judæis fœnerari alieno, idque ob duritiam cordis eorum, ne ut erant lucro nimis inhiantes, extorquerent fœnus etiam a fratribus suis Judæis. Quod privilegium, abrogata Sinagoga, non amplius existit.

Ad sextum, et ultimum. His aliisque, nullum argumentum conficitur adversus reverentiam, quam Matri suæ semper exhibuit Jesus Christus. Ipse namque filius quidem Mariæ erat secundum carnem; at erat filius Æterni Patris secundum Divinitatem; quoties igitur vel Æterni Patris opera peragere debebat;

vel aliquod opus insolitum suæ Divinitatis ostensivum, terrenam Matrem non curare videbatur; sed hoc modo eam honorabat quam maxime; quippe eam esse Matrem Dei, non obscuris indiciis commonstrabat. Adeoque etc.

Quæres. Quinam sint libri Canonici, et Deutero-Canonici Sacræ Scripturæ?

§. 120. Libri Canonici, a *Canone*, *Regulam*, vel *Catalogum* hic significante, dicuntur illi, qui ab Ecclesia in Catalogo Scripturarum Sanctarum sunt expresse relati ut Divini, et Divinæ auctoritatis. Libri vero Deutero-Canonici dicuntur illi, qui non semper in Ecclesia, ut Divini habiti sunt: Sicuti Proto-Canonici appellantur, qui semper, et absque interruptione in Canone fuerunt Sacrarum Scripturarum. Libri, qui ab Ecclesia Catholica ut Proto-Canonici semper habiti fuerunt, sunt sequentes ex Veteri Testamento: Pentateuchus Moysis, Liber Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, quatuor Prophetæ✝ minores. Ex Novo autem Testamento, sunt: Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, et Joannis, Acta Apostolorum, omnes S. Pauli Epistolae, excepta ea quae est ad Hebraeos, duae Epistolae Canonicae, scilicet una Petri, Joannis altera. Libri autem Deutero-Canonici, qui nempe, non semper ab Ecclesia habiti fuerunt ut Canonici, sunt sequentes: Esther, Baruch, Danielis pars, nempe Hymnus trium puerorum, historia Susannae, et historia Draconis a Daniele occisi; Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabaeorum primus et secundus, Marci, Lucae, et Joannis partes quaedam, Epistola ad Hebraeos, Epistola D. Jacobi, secunda Petri, primae Joannis particula, secunda, et tertia Joannis, Epistola Judae, et Apocalsypsis.

✝ majores, et duodecim Prophetæ

Quaeres. Quot sint Canones Sacrorum Librorum?

§. 122. R. sunt tres, 1. Nempe Judaeorum; 2. Haereticorum; et 3. Catholicorum. Canon Catholicorum ex Tridentino (Sess: IV.) continet omnes Libros, sive Proto-Canonicos, sive Deutero-Canonicos, supra (§. 121.) memoratos. Canon Judaeorum, qui nunc est, continet viginti duos Libros, uti testatur Josephus, et sunt: quinque Libri Moysis, octo Libri Prophetarum, videlicet, Josue, Judicum cum Ruth; Samuelis duo velut liber unus, idest tertius, et quartus, Isaiae, Jeremiae cum Threnis, Ezechielis, liber unus duodecim Prophetarum; Job, Davidis, Proverbiorum, Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Danielis, Paralipomenon, Esdrae duo ut unus, et Esther. Canon Haereticorum est varius pro varietate Sectarum. Nam Simoniani, Basilidiani, Marcionitae, et Manichaei, omnes Veteris Testamenti Libros respuebant. Ebion solum S. Evangelium S. Matthaei admittebat. Cerinthus solo Marci Evangelio utebatur, nec Apostolorum Acta recipiebat. Marcion Lucae Evangelium, sed mutilum agnoscebat, rejiciebat vero, inter alias Scripturas, Pauli Epistolas ad Titum, et Timotheum. Lutherus et Martinus Kemnitius, omnes Libros e Canone deleverunt, quos in antiquo Judaeorum Canone non invenerunt; scilicet Baruch, Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, et duos Libros Machabaeorum; sicuti etiam S. Pauli epistolam ad Hebraeos: Epistolas Jacobi, Judae, secundam Petri, secundam, et tertiam Joannis, et Apocalypsim. Alii alios.

CAPUT VII.

De genuitate Pentateuchi.

§. 122. *Def.* 1. Pentateuchi nomine intelliguntur quinque priores Libri Sacrae Scripturae Veteris Testamenti, scilicet *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, et *Deuteronomium.*

§. 123. *Schol.* Primus Pentateuchi Liber *Genesis*, hoc est *generatio* vocatur. Exhibet namque Mundi creationem, atque originem; nec non ejus progressum, atque incrementum per spatium bis mille noncentum sexagintanovem annorum, usque ad Iosephi obitum in Ægypto. Quapropter primorum Parentum creationem, ipsorum lapsum, Arcae Noeticae fabricam, universale Diluvium, Sanctorum Patriarcharum vitam, Abraham, videlicet, Isaac, et Joseph, complectitur. Secundus dicitur *Exodus*; hoc est *exitus*, ab exitu Israelitatum de Ægypto. Continet propteream res per annos 145. ab Israelitis gestas, ab obitu Joseph usque ad Tabernaculi erectionem, videlicet servitutem in Ægypto, liberationem populi a captivitate, transitum Maris rubri. Tertius vocatur *Leviticus*, quia est velut rituale Iudaeorum, continens officium Sacerdotum; atque agit de Anni Iubilaei celebratione, et de iis, quae infra unum mensem, et dimidium gesta sunt. Quartus appellatur Liber *Numerorum*, quia refert computationem Populi per Tribus, a Moyse facta, et Aaron; continet quoque res gestas ab Anno secundo post exitum de Ægypto, usque ad Annum 40. In eo narratur Populi obmurmuratio, atque rebellio; ejusdemque punitio. Quintus tandem nominatur *Deuteronomium*; idest *posterior*, seu secunda lex, a graeco vocabulo *Deuteros*, latine *posterior*, et voce *nomos*, latine *lex*. Non est autem hæc lex a prima diversa, sed una et eadem, nisi quod fuerit fusius explicata, atque repetita.

§. 124. *Def.* 2. *Liber genuinus ille dicitur, qui revera scriptus est ab eo auctore, a quo scriptus esse dicitur.* Ita Ciceronis Libri, Caesaris Commentaria, Virgilis Æneidos, genuini diicuntur, quia traditione non interrupta constat, ab Auctoribus, quorum nomina praeseferunt, fuisse conscriptos.

§. 125. Libro genuino, liber *spurius* opponitur; is nempe qui scriptus non est ab eo Auctore, a quo scriptus asseritur.

§. 126. *Animad*: Ut tamen Liber genuinus, vel authenticus dicatur, requiritur, ut ab omnibus proxime, et continuata serie sequentibus cum aetatibus, talis habitus sit. Atque hoc axiomatis loco esse potest, aliter actum erit de omni Scriptura, et Historia. Porro sit ne talis Pentareuchus,

Variæ extant Auctoram sententiæ.

§. 127. Pentateuchum non esse genuinum Moysis fœtum, omnes illi adfirmarunt, qui Veteris Testamenti Libros respuerunt. Idipsum inter recensiores praestarunt Thomas Hobesius, Isaac Peirerius auctor insulsi systematis Pracadamitarum, Benedictus Spinoza, Riccardus Simonius, et non pauci hujus temporis scioli, et novitatis amatores.

PROPOSITIO.

Pentateuchus, omnium Librorum antiquissimus, genuinus est Moysis fœtus.

§. 128. Prob.: In Veteris ac Novi Testamenti Libris Divina revelatio continetur (§. 118.); Ergo hi Libri sunt divinae, atque infallibilis auctoritatis; Atqui in illis Libris aperte asseritur, Moyßen auctorem fuisse Pentateuchi; Ergo etc. Prob. min. subs. Et I. ex Veteri Testamento. In Exodo (Cap: XXIV. v.

7.) haec leguntur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini* (Cap: XXXIV. v. 27.): *assumensque volumen fœderis legit audiente populo. Insuper dixit* Dominus ipse Moysi: *scribe tibi verba haec, quibus et tecum, et cum Israel pæpigi fœdus.* Item in Deuteronomio (Cap: XXXI. v. 9.) legitur: *Scripsit itaque Moyses Legem hanc, et tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi.* Idipsum confirmant quotquot Prophetae, atque Scriptores de Lege hominibus a Deo data mentionem faciunt, vocantes eam *Legem Moysis*; idque a tempore in quo Moyses vivebat, per continuam successionem temporum, atque aetatum. Ita Josue; III, et IV. Regum: II. Paralipomenon, Tobias, Baruch, Daniel, Malachias etc. Ergo etc. §. 126. Prob: II. ex Novo Testamento (Apud Marcum Cap: XII.) ait Christus Sadducaeis: *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in Libro Moysis super rubum quomodo dixerit illi Deus: Ego sum etc.* Apud S. Lucam (Cap: V. v. 14.): cum curasset Jesus leprosum, dixit: *Vade ostende te Sacerdoti . . . sicut præcepit Moyses.* Item (Cap: XXIV. 27.) cum exprobrasset Discipulis suis cordis tarditatem in credendo, addidit: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.* Mitto caetera, solummodo, reticere non valeo, adeo apud Hebraeos constare Pentateuchum esse Moysis foetum, ut ipsum *Moysen* vocabant. Actorum namque XV. (v. 21) legitur: *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus, qui eum praedicent in Synagogis; ubi per omne Sabbatum legitur.* Quibus positis, en minoris probatio. Per sermones Domini, per Legem, per Librum, seu volumen fœderis, et Legis, vel Moysis, non intelligitur, nisi Pentateuchus (non alia enim continet, nec alio nomine vocatur hic Liber); atqui constanti, et numquam interrupta traditione, a

Moyse, usque ad nos, et testimonio tot illustrium Scriptorum, Moyses scripsit Sermones Domini, Legem, praecepta etc. Ergo Moyses est Auctor Pentateuchi; adeoque etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 130. *Olji* 1. Pentateuchus non est genuinus Moysis foetus, si in eo Moyses, personam quamdam tertiam, ab ea quæ scribit distinctam, repraesentat; Atqui res ita se habet; ergo etc.

§. 131. R. neg. maj.: Novum non est, quod historici sive sacri, sive prophani, in historiis, ac libris conscribendis, de se, modestiae, atque humilitatis causa, tamquam de tertia, et quasi aliena persona loquantur. Id namque frequens est, et veluti quaedam familiaris consuetudo antiquitus tradita. Quare S. Matthaeus Evangelium suum scribens, seipsum nominat, quasi aliena esset persona: *Vidit Jesus hominem sedentem in telonio Matthaeum nomine.* Similiter fecit S. Joannes, qui etsi in suo Evangelio (Cap. XIII. 23.) loqueretur de seipso; scribit tamen: *unus ex discipulis, quem diligebat Jesus.* Idipsum in Commentariis suis Caesar, et Josephus in suis libris de bello Judaico fecerunt, quin tamen aliquid genuitati suorum librorum detraheretur. Esto proinde in Pentateucho loquatur auctor de Moyse, ut aliena persona, non inde deduci potest, ipsum non esse ejusdem genuinum foetum; id namque fecit Moyses, modestiae, et humilitatis causa.

§. 132. *Contra*: Atqui revera Moyses, in Pentateucho, personam distinctam ab ea, quæ scribit, repraesentat; ergo n. r. Prob. min. subs. Numerorum XII. v. 3. laudatur Moyses, tamquam vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra; et v. 7., a Domino scribitur laudatus, ut in omni domo sua fidelissimus; et quod propterea ore ad os

loquebatur ei; Atqui si qui scribit fuisset Moyses, et non aliena persona, non se laudasset; ergo revera etc.

§. 133. R. conc. maj., dist. min.: Non se laudasset propter se, et amoris proprii causa, conc., Dei impulsu, et ad manifestanda Dei magnalia in creaturis, nego min., et consm. Cum viri sancti aliqua dona supernaturalia, gratias, et virtutes sibi divinitus concessas manifestant, id faciunt divina inspiratione, pro gloria Dei, et proximorum aedificatione; ut nempe audientes quanta Deus fecerit eis, excitentur ad virtutem amplexandam, et Patrem glorificent, qui est in Caelis, mirabilis in Sanctis suis, non vero propter se, et ut benevolentiam, et obsequium sibi adquirant. Ita fecit S. Job; Ita S. Paulus; et ita fecit laudatus Moyses.

§. 134. *Contra*: Atqui Auctor Pentateuchi absolute alius est a Moyse; ergo n. r. Prob. min. subs.: Ille Auctor qui scribit mortem, et sepulturam alicujus; certe non est idem ac ille, cujus mors describitur, et sepultura; hoc namque est impossibile; Atqui Auctor Pentateuchi, mortem Moysis, ejusque sepulturam describit; ergo Auctor etc.

§. 135. R. Duae sunt hujus argumenti solutiones. Prima est Josephi (Lib: IV. Antiq. Judaic.), et Philonis Judaei (Lib. de vita Moysis.); Hi nempe contendunt, Moysen per anticipationem, Divino Spiritu afflante talia scripsisse; idque ne Judaei propter eximiam ejus virtutem, a Deo raptum praedicarent, ipsumque ut Numen colerent. Secunda est plurimorum Criticorum, cui non dubitamus adhaerere, qui volunt, quaecumque, in fine Deuteronomii, narrantur de morte, et sepultura Moysis, vel a Josue, vel ab Eleazaro, vel ab Esdra, vel ab alio quocumque, qui post Babylonicam captivitatem sacros recensuit Libros, addita fuisse, ut tota completa haberetur Moysis historia, et finis Deuteronomii cum initio Josue cohaereret.

§. 136. *Obji.* II. Si quae in Pentateucho narrantur vel parum considerentur, apparebit clare, Pentateuchum non fuisse a Moyse conscriptum; Ergo falsa propositio. Prob. antec. In Genesi (Cap: XII. v. 6.) dicitur, Abraham pertransiisse usque ad Convallem illustrem, et additur in parenthesi: *Chananaeus tunc erat in terra*, ostendens his verbis, Chananaeos vivente adhuc Moyse, fuisse a Palestina expulsos. Atqui hoc Moyses scribere non poterat, cum nonnisi post ejus mortem Chananaeorum explusio acciderit; Ergo. etc.

§. 137. R. Laudata in argumento verba: *Chananaeus tunc erat in terra*, non indicant Chananaeos, vivente Moyse, jam a Palestina fuisse explusos, sed illos, a tempore, quo Abraham pertansiit usque ad Convallem, in terra illa fuisse. Quod quidem Moyses duplici praesertim de caussa debuit adnotare; prima, quia inter Abraham et ipsum, spatium intercesserat 400. circiter annorum; secunda, ut intelligerent Hebraei, in quorum gratiam scribebat, Palaestinam vel ipso Abrahae sempore occupatam, eam ipsam terram esse, quam Ahrahae, et ejus semini dare Deus spoponderat.

§. 138. *Contra* Atqui ex iis, quae in Pentateucho narrantur, apparet, illum non a Moyse, sed ab alio fuisse conscriptum; Ergo n. r. Prob: subsm. In eadem Genesi (Cap. XXXVI. v. 31.) habetur: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent Regem filii Israel, fuerunt hi*; quibus positis, sic: Allata verba satis clare ostendunt, Pentateuchi auctorem vixisse sub Regibus Israel; Atqui Moyses vixit multo ante; Ergo etc:

§. 139. R. Allata verba etc: Sub Regibus Israel simpliciter, et in proprio sensu acceptis, n. maj:, secus, conc: maj:, et n. consm. Nomen Rex in Sacra Scriptura non semper pro Rege accipitur, sed quandoque etiam pro Duce, sic (Deuteromnii XXXIII.) Moyses eo sensu dicitur Rex, et pro Rege passim usurpatur

in Libro Iudicum. Cum vero Duces, sive Reges hujusmodi habere inceperint Israelitae ab exitu ipsorum de Ægypto, et Moyses ipse fuerit Dux primus ipsorum a Deo constitutus, non video cur in mentem venerit Voltairio, tam fidenter asserere, Pentateuchi auctorem vixisse sub Regibus Israel, eo quod dicatur in allato Geneseos loco, jam regnasse Reges in terra Edom, antequam Israelitae haberent Regem.

§. 140. *Contra.* Atqui quae in Pentateucho leguntur, satis superque ostendunt, post Moysis mortem, ipsum fuisse conscriptum; Ergo a capite argum: Prob. subsm. In Exodo (Cap: XVI. v. 35.) habetur: *filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan.* Atqui mortuus erat Moyses, quando Israelitae pervenerunt in terram Chanaan, et Man cessavit. Ergo Moyses talia scribere poterat; etc.

§. 141. R. admissa auctor:, dist: tamen ejus sensum: *hoc cibo aliti sunt* usquequo tangerent fines terrae Chanaan, moraliter, conc:, physice, subd: usquequo tangerent citra Iordanem, conc:, trans Iordanem, nego. Et contradist: min:, n. consm. Certum est, Moyses cum Iordanem appropinquasset, adeoque Terrae promissionis confines, Og, et Sehon Reges Basan, et Amorrhaeorum devicisse: tunc autem cessavit manna, et frugibus terrae aliti sunt Israelitae. Postea Moyses mortuus est in monte Neboth. Tum Iosue duce, Hebraei transierunt Iordanem, et non sine miraculis capta Civitate Iericho, terram Chanaan occupare ceperunt; sicque immediate ante transitum Iordanis, tangebant moraliter, et initiative terram Chanaan.

CAPUT VIII.

De aliorum Librorum tum Veteris, cum Novi Testamenti genuitate, veracitate, atque divinitate.

§. 142. *Animad.* Quod hic ad Librorum Sanctorum genuitatem spectat, duplex ea statui potest; alia nempe quæ se tenet ex parte spiritus Dei, et quæ proinde dicitur *divina*; alia ex parte eorum hominum, quibus Dei spiritus usus est in Libris scribendis, quae dicitur *humana*. Quoad priorem genuitatem, Liber erit genuinus si constet, eum fuisse scriptum a Propheta quocumque, idest ab homine, Divino spiritu pleno, etsi ignoretur quis sit, et quomodo vocetur ille auctor, quo divinus spiritus usus sit in eo scribendo. Quoad secundam vero, genuinus appellabitur Liber si constet eum fuisse scriptum ab eo auctore, cujus nomine insignitur.

§. 143. *Def. Verax historia illa vocatur, quæ res gestas eo modo narrat, quo revera gestæ sunt, et narrantur in multis aliis Libris sive coetaneis, sive ætati, in qua facta acciderunt, proxime succedentibus.*

§. 144. *Coroll.* 1. Indicium itque veracis historiae est, si de rebus iisdem omnes eadem dicant, atque scribant. Quare.

§. 145. *Coroll.* 2. Liber genuinus dicetur verax, atdivinus, si revera ab auctore, divino spiritu afflato, scriptus sit, et ea quae narrat, narrantur quoque ab aliis, sive coevis, sive proxime succedentium temporum scriptoribus. His notatis videndum nobis est; An Libri ceteri, tum Veteris, cum Novi Testamenti, ab Ecclesia Catholica in Sacrarum Scripturarum Canonem relati, genuini sint, veraces, atque divini. Circa quod non una est

Auctorum sententia.

§. 146. Catholici omnes firmiter nunc tenent, atque fatentur, Libros omnes in Canonem Scripturarum San-

ctarum, ab Ecclesia redactos, genuinos esse, veraces, atque divinos. Verum non defuerunt, et utinam modo deessent, qui idipsum pertinaciter negare non dubitarint. Ac 1. Deistae, atque Naturalistae (genus hominum sane pestiferum, sed nostris hisce temporibus longe lateque diffusum), solam naturalem agnoscentes rationem, omnemque revelationem negantes, (§. 10.), nullum proinde divinum admittunt Librum. Secundo Judæi, qui Vetus quidem admittunt Testamentum, Novum autem omnino respuunt. Tertio Manichæi, qui, ex adverso, Novum agnoscunt Testamentum, Vetus autem, quia putant a malo principio dictatum, prorsus execrantur. Quarto Calvinistae, qui ex Veteri Testamentó quosdam Libros rejiciunt, veluti illum *Tobiæ*, *Iudith*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, et *duo Machabæorum*. Quinto Lutherani, quosdam alios respuunt ex Novo Testamento, uti sunt D. *Pauli Epistola ed Hebraeos*, *S. Jacobi Epístola*, *Judæ*, *et Apocalypsin* S. *Joannis*. Sed quam immerito, sequens declarabit.

PROPOSITIO.

Reliqui omnes Libri tam Veteris, quam Novi Testamenti in Canonem Sacrarum. Scripturarum ab Ecclesia Catholica relati, sunt genuini, veracès, atque divini.

§. 147. *Prob.* 1. quoad Libros Proto-canonicos Veterus Testamenti, hoc generali argumento. Illi Libri ut genuini, veraces, atque divini habendi sunt, qui communi tam Veterum, quam Recensiorum Scriptorum suffragio, ut tales agnoscuntur; Atqui Proto-canonici Libri Veteris Testamenti sunt hujusmodi (ideo namque Proto-canonici vocantur); igitur etc. Deinde laudati Libri a viris piis, atque probis, et numquam de fide suspectis, fuerunt conscripti; et ea, quæ narrant, narrata quoque observantur, nedum ab aliis

Sacris Scriptoribus, sed ab exteris quoque, licet Natione, atque Religione diversis; quemadmodum fuse ostendit Daniel Huetius (Libro 1. Dem: Evang.) agendo de singulis Libris; ergo etc. Insuper Scriptores prædictorum Librorum ingenue fatentur, se in illis scribendis a divino spiritu fuisse afflatos; id quod revera accidisse, Spiritus ipse Sanctus, qui per eos loquebatur, non raro testatus est, sermonem illorum miraculis quamplurimis, quae passim in Scriptura ipsa leguntur, confirmando. Igitur, etc. Tandem genuini censendi sunt, veraces, atque divini Libri illi, qui nihil continent, quod rectae rationi adversetur, vel regulis morum repugnet, vel sit Deo indignum; Atqui hujusmodi sunt citati superius Libri; quinimmo ipsi mores formant, rationem illustrant, mentem dirigunt, pietatem fovent, ad Deum cognoscendum conducunt, in nos Dei amorem accendunt, ad viam mandatorum Dei currendam alliciunt, cælestia desiderare docent, terrena vana despectui habere, bona denique facere, mala devitare; Ergo etc.

§. 148. *Prob.* II. Quoad Proto-Canonicos Libros Novi Testamenti, et quidem eodem ferme argumentorum genere. Nam laudati illi Libri semper ut genuini, veraces, atque divini a Christianis omnibus habiti sunt, nec unquam de tituli, quo insigniuntur, veritate dubitatum fuit; quinimmo omnes Veteres, inter quos Barnabas, Ignatius Martyr, Iustinus, Clemens Romanus, Athenagoras, et alii, qui aut Apostolos viderunt, aut eorum discipulos fuere, hos Libros, sub iisdem nominibus allegant. Deinde quae in illis historice narrantur, non solum Judæorum, sed et ipsorum quoque Gentilium Scriptorum auctoritate comprobantur. Legantur quæso, præter Josephi Flavii Libros, Taciti, Svetonii, atque Plinii junioris Historiæ, et quisque ex iis hauriet quis fuerit Christus, quæ ejus doctrina, a quibus parentibus ortus, quinam ipsius discipuli. Sed et miracula a Christo, et a suis di-

scipulis patrata, non solum Hebræi Talmudici Operis conditores, fassi sunt, sed et ipsi Christianæ Religionis infensissimi hostes, veluti Celsus, Porphyrius, Julianus, ipsemet quoque Mahumetes in Alkorano. Nihil hic addo de doctrina in illis contenta, cum legentibus latere non possit, eam, nonnisi a solo Deo, potuisse tradi, quippe docet, quæ de Deo recte sentienda sunt, quaeque, ut ei placeamus, æternamque beatitudinem consequamur, sint agenda. Tandem, ut cætera sileam, maximum est pro laudatorum Librorum genuitate, veritate, atque divinitate argumentum, confessio sincera Auctorum, qui illos scripserunt, qui libere affirmant, doctrinam quam scribunt, proprii ingenii partum non esse, sed a Deo ipsis revelatam; audiantur Ioannes, Petrus, et Iacobus, dicentes: se eam doctrinam scribere, quam audiverant a Christo, qui eam a Deo Patre acceperat; audiatur Paulus, qui ad Galatas (1. v. 10.), se Apostolum Iesu Christi nominat, non ab hominibus, neque pro homine, sed per Iesum Christum; audiantur tandem Lucas, et Marcus, qui eam doctrinam scribere testantur, quam ab aliis Apostolis, qui cum Christo vixerant, edocti erant; Iam vero laudati Scriptores, nec mendaces sunt, nec impostores, sed viri probi, quibus fidem denegare, summum esset scelus; Igitur; etc.

§. 149. *Prob*: Tandem III. quoad Libros Deutero-Canonicos sivè Veteris, sive Novi Testamenti, et quidem hoc unico, et generali argumento. Illi Libri sunt certo genuini, veraces, atque Divini, qui tales ab Universa Catholica Ecclesia agnoscuntur; Ecclesia namque Catholica (ut patet ex Libris Proto-canonicis) sola de Librorum Sacrorum genuitate judicium ferre potest; Atqui laudati Libri, ut Canonici ab Ecclesia in pluribus OEcumenicis Conciliis, præsertim in Tridentino (Sess. IV. Dec: Can: Scrip:) agnoscuntur, et proponuntur; igitur etc.

Occurritur argumentis oppositis.

§. 150. *Obji.* 1. Veracis Historiæ indicium est, ut vos ipsi conceditis, si Scriptores ab invicem non dissentiant, sed omnes eadem scribant, ac sentiant; Atqui Scriptores, utriusquae Testamenti dissentiunt in factis narrandis, immo invicem opposita quandoque narrant; igitur. etc. *Prob.* min: Gen: 3. ait Moyses, Deum requievisse ab universo opere, quod patrarat, e contra vero Christus (Ioannis V.) inquit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Iam vero hæc proculdubio opponuntur: Ergo etc.

§. 151. R. dist. 1. maj. p. Requievisse a creandis novis rerum speciebus, conc:, secus, n. 1. maj: p., et dist; alteram, et ibi per operationem intelligit Christus novam rerum creationem, n., conservationem rerum jam creatarum, conc: 2. p. maj: , nego min:, et consm. Duplex Dei operatio, quod hic spectat, distinguenda est; una nempe sublimior, quæ res nondum existentes, existentia donat, eas educendo, vi sua infinita, qua pollet, ex nihilo sive sui, sive subjecti, et hæc operatio proprie dicitur creatio; alia vero, qua res, jam creatas, et existentes, suo concursu, conservat in statu existentiae; facit nempe ut perseverent in existendo, et in nihilum non abeant. In priori sensu loquebatur Moyses, in posteriori Christus; Non ergo invicem contraria Sacri scriptores narrant, aut scribunt. Huic argumento, eodem modo respondet S. Augustinus (Lib: adv: Adimantum) dicens: « Deum » ab instituendis rerum Naturis post earum per» fectionem cessasse, quamvis usque adhuc in ad» ministrandis operetur: » Quod vero de diversis Dei operationibus præfati scriptores loquantur:, ex eadem materia de qua agunt colligi evidentissime potest. Moyses namque de novarum specierum creatione sermocinatus erat, antequam diceret, Deum ab opere requievisse; Christus vero, cum dixit: *Pater meus*

usque modo operatur etc., non de creatione egerat, neque tunc agebat, sed te conservatione; Persequebantur namque eum Iudæi, et ad necem quærebant, quod Sabato curaret infirmos, et tunc præsertim, cum in Probatica piscina hominem curaverat, qui triginti et octo annos habebat in infirmitate sua, cui etiam præceperat, ut Sabato grabatum suum tolleret, atque ambularet; Christus ut eis ostenderet licere Sabato individua conservare, ea ab infirmitatibus sanando, exemplum Patris sui adducit, qui esto a creatione cessaverit, adhuc tamen in conservando individua perseverat.

§. 152. *Contra*. Atqui vere opposita a Scriptoribus, laudatis in Libris narrantur; ergo n. r. Prob. min: subs. Maxima certe inter Scriptores oppositio esset, si quod de uno eodemque subjecto Scriptor unus affirmat, alter e contrario negat; Atqui hoc in laudatis Libris, observatur; quippe in uno, veluti in Gen: (Cap: XXXI. v. 31.) legitur, Iacob vidisse dominum, in altero veluti Ioannis 1. ait ipsemet Christus, Deum neminem umquam vidisse; Ergo: etc.

R. dist: maj: Maxima etc, si eodem sensu Scriptores loquantur, idemque subjectum, sub eodem respectu, iisdemque proprietatibus considerent, conc., secus n. maj: dist: min: Atqui etc., et Scriptores illi diverso sensu loquuntur, idemque subjectum sub diversis proprietatibus respiciunt, conc:, secus n. min:, et consm. Dupliciter Dei visio, quantum hic attinet, sumi potest; primo nempe stricto sensu, prout nempe Deus, ut in se est, oculis corporeis videatur; 2. prut oculis quidem corporeis, sed mediate, et sub aliqua sensibili forma apparens. Priori modo Deum videri non posse, communis omnium Catholicorum Theologorum sententia est, et Fides, et ipsamet recta ratio suadet. Cum namque Deus non solum sit Ens infinitum, sed etiam simplicissimum, oculis proculdubio corporis subjici nequit. Posteriori autem modo

videri posse, et nonnumquam a Patriarchis, et Prophetis Veteris Testamenti fuisse visum, Sacri eloquii paginæ, passim testantur. His expositis; quænam quæso est vera oppositio inter Scriptores Sacros, dum unus adfirmat, Deum videri posse, alter inficiatur? Si uterque, Deum oculis corporeis mediate videri non posse assereret, proculdubio opposita narrarent; at cum constet, illos non eodem sensu loquutos fuisse; quippe Iacob testatur sed Deum vidisse humana forma sibi apparentem, Christus vero asserit, Deum prout in se est, videri non posse, certe non solum laudati Scriptores ab invicem non opponuntur, sed verissima docent.

Contra. Atqui laudatis in Libris a Scriptoribus de eodem subjecto, sub eodem respectu considerato contraria, et opposita narrantur: Ergo n. r. Prob. subsm. Primo Regum (Cap. XIII. v. 1.), hæc leguntur: *duobus annis regnavit Saul super Israel*. Actorum autem XIII. v. 21. hæc alia scribuntur, Saul regnavit 40. annos; Iam vero haec non conveniunt invicem; Igitur, etc.

R. conc: maj: neg: min: cum consa. Ludunt pueriliter adversarii, dum ad nostram labefactandam thesim, haec, aut his similia, veluti pro se firmissima jactitant argumenta, eo quod prima fronte nonnullae in Scripturis contradictiones appareant, quae interim nec veræ contradictiones sunt, nec nostram queunt infirmare propositionem. Et quae siquidem laudatis in testimoniis contradictio est, et pugna? Ego certe nullam deprehendo, et si deprehendo, nonnisi apparentem. Et sane, ut praeteream, quae eruditi, sacrique interpretes de annis Regni Saulis habent, certum est, Saulem, ait Tirinus, non regnasse 40. annis, sed neque duobus annis solum regnare potuit, cum admodum intellectu difficile videatur, eum tam brevi temporis spatio, ea omnia agere potuisse, quæ in Scriptura ab eo gesta fuisse narran-

tur. Hæc cum ita sint, alium proculdubio sensum; laudata testimonia habeant necesse est. Dici ergo potest, 40. annos, de quibus Actorum XV. loquitur Paulus, præfecturam non solum Saulis, sed et Prophetae Samuelis respicere, cujus utriusque tempora Paulus conjunxit; duo autem anni, qui in Libris Regum Regno Saulis adsignantur, tempus indicare illud, quo Saul solus, et absque Samuele Israelis regimen tenuit: vel etiam, et quidem rectius dici potest, Saulem duobus annis bene, et innocenter Regnum administrasse, quemadmodum exponunt Chaldæus, Gregorius, Petrus Damianus, Abulensis, noster Lyranus, aliique non pauci; id quod optime ex eodem capite erui potest. Ante namque laudata verba, dixerat sacer Scriptor: *Filius unius anni* (non quidem ætate; erat enim Saul quando unctus fuit in Regem vir *altior universo populo ab humero, et sursum*, sed innocentia, et simplicitate sicut est puer unius anni) *erat Saul cum regnare cœpisset*, postea subdit: *duobus annis* (in eadem innocentia, in qua erat cum regimen assumsit) *regnavit super Israel.* Cum ergo in uno sensu annos Regni Saulis unus Scriptor acceperit, alter in altero, nulla certe laudatis in testimoniis, vera disconvenientia est; adeoque etc.

§. 156. *Objı.* II. Libri, qui sunt genuini, veraces, atque divini, nihil continere possunt, quod sit Deo indignum; Atqui Veteris Testamenti Libri Deo indigna continent; igitur etc. Prob. min: In hujusmodi Libris, Deus omnibus humanis membris, atque affectibus præditus exhibetur; Atqui hoc est prorsus Deo indignum; Ergo: etc.

§ 157. R. dist: maj: metaphorice, conc: proprie n. maj: et dist: min:; si proprie laudata in argumento Deo tribuerentur, c:, si metaphorice n. min:, et consm. Cum Scriptura hominibus loquatur, eorum captui se accomodat, unde de Deo loquitur in modum humanum; neque vero cum humana membra Deo tri-

buit, vult nos revera credere, ipsum talia habere, quin potius nos admonet, Deum Ens esse infinitum, atque simplicissimum, nec non immutabile, et Omnipotens; sed ea tribuit, ut per quamdam similitudinem, divinos illos actus exprimat, qui cum nostris quamdam habent analogiam. Ita per oculos Dei summam ejus, quam de rebus omnibus habet notitiam, significat; per manus vero, et brachia ejus virtutem, et potentiam, seu ejus potentiæ actum; per alas protectionem; per extensionem, et dimensionem, ejus præsentiam in rebus, et locis exprimit. Falsum igitur, Vetus Testamentum Deo indigna continere, cum laudata in argumento, nonnisi metaphorice accipienda sint.

§. 158. *Contra.* Atqui in Veteri Testamento, quædam Deo prorsus indigna proprie tribuuntur; Ergo n. r. Prob. subsm. Deus in Veteri Testamento non metaphorice, sed proprie fit auctor malorum; Amos namque III. v. 30. legitur: *Si erit malum in Civitate, quod non fecerit Dominus*; Ergo etc.

§. 159. R. dist.: ans: Deus fit auctor malor. culpæ, nego, poenæ subd: et hoc est malum respectu Dei, nego, respectu illorum qui illud patiuntur, conc: antec; et n. consm: Mala, quod hic spectat, duplicis sunt generis, nempe culpæ, et pœnæ; prioris generis sunt peccata, et divinæ Legis transgressiones; secundi vero generis mala dicuntur calamitates illæ, quæ in pœnam patratorum delictorum delinquentibus inferri solent. Porro Deus numquam in Scripturis auctor malorum culpæ dicitur, quin potius, aperte praedicatur *intentator malorum, et qui neminem tentat* (Iacobi Cap: 1. v. 13.). Cum namque ipse sit infinite bonus, atque Ens, in quod imperfectionem vel levissimam cadere impossibile sit; cumque malum culpæ defectum arguat, proculdubio repugnat ut Deus sit auctor malorum culpæ. Cum vero sit infinite justus, potest utique esse auctor malorum pœnæ, quæ relatæ ad Deum, mala non sunt, sed bona, cum conferant ad ejus attributa

manifestanda; quod si mala ea dicere velimus, mala dici possunt relate ad illos, qui ea patiuntur, sive in vindictam, ut sunt peccatores, sive ad probationem, ut sunt justi. Non pigeat quæso hic audire D. Augustinum, sic adversus Adimantum loquentem: (Cap: XXVI.) « Divina providentia cuncta moderante, » et gubernante ita homo malefecit, quod vult, ut » male patiatur, quod non vult.... Ergo Deus ma- » lum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed iis, » in quos vindicat. Itaque ipse, quantum ad se per- » tinet, bonum facit, quia omne justum bonum est, » et justa est illa vindicta »: hæc Augustinus. Quod autem revera Amos, non de malis culpæ sed de malis poenæ ibi loquatur, opus non est ostendere, cum legentibus illius prophetiam, clarissime pateat.

Contra.. Atqui in Libris Veteris Testamenti fit Deus auctor malorum etiam culpæ; igitur etc. Prob. min: subsa: Præcipere fornificationem, utique est malum culpae, quippe VI. Decalogi praecepto opponitur; Atqui in laudatis Libris scribitur, Deum fornificationem praecepisse; perhibent namque, Deum Osee dixisse: *Sume tibi uxorem fornicationis*, et *fac tibi filios fornicationis*; igitur etc.

R. conc: maj: min: et dist: ejus prob: et Deus Osee praecepit ut fornicariam mulierem sibi legitimo matrimonio jungeret, conc:, secus n. prob: min: Responsio ex ipsa distinctine patet. Numquam enim Deus suo Prophetae praecepit transgressionem, sed solum, ut mulierem antea meretricem sibi legitimo matrimonio copularet, filiosque ex ea gigneret; id quod manifestius fit verbis illis: *sume tibi uxorem*; uxor namque dici nequit mulier soluta. Iam vero » quid adversum clementiæ veritatis, ait S. Augusti- » nus contra Faustum (Lib: XXII. Cap: 80.), » quid inimicum Fidei Christianae, si meretrix, re- » licta fornicatione, in castum connubium commute- » tur?.... Itaque cum meretricem Propheta fecit

» uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consul-
» tum est, et figurae sacramentum expressum ». Cum autem sic Osee praeceperit Deus, ostendit Iacobus Tirinus dicens, ideo Deum ista Osee praecepisse, ut per hoc Israelitis repræsentaret fœdum ipsorum statum, in quo degebant, toti dediti mysticae fornicationi, nempe idololatriae, in qua exorbitabant, et ipsum nihilominus velle Synagogam eorum sibi, tamquam marito copulare matrimonio, ut ex publico scorto castam conjugem efficeret.

Contra. Atqui ibi absolute dicitur, Deum Oseæ præcepisse ut ex muliere, non sibi matrimonio copulata, filios procrearet; igitur etc. Prob. min: subsm: Si Osee, jussu Dei, mulierem fornicariam sibi matrimonio copulasset, certe hæc mulier esset legitima ipsius uxor, et filii ex illa progeniti legitimi; Sed ibi præcipitur Osee, ut ex muliere fornicaria, filios faciat fornicationis; Ergo etc.

R. dist: maj: Et aliunde filii illi ex muliere antea meretrice, licet postea in matrimonium juncta, dici etiam possunt filii fornicationis, conc: secus, n. maj:, et dist: min:, hoc est nati, licet legitime, ex matre tamen, quæ ante Matrimonium fuerat meretrix, conc:, secus n. min: et consm. Etsi meretrix mulier ab Osee in uxorem accepta, vera tunc esset, et legitima conjux; filiique ex illa progeniti legitimi, nihilominus, cum illa fornicaria maneret adhuc, licet solum extrinseca denominatione, ideo et filii, etsi ex legitimo matrimonio procreati, *Filii fornicationum* vocantur; filii nempe matris antea meretricis. Hoc enim nomen a publica meretrice non detegitur apud populum, etiamsi matrimonium fuerit subsequutum; ita S. Hieronymus, Augustinus cum aliis SS. Patribus bene multis.

CAPUT IX.

De Sacrorum Librorum, sive Veteris, sive Novi Testamenti integritate

§. 164. *Animad*: Sacros Libros integros ad nos pervenisse, tales nempe, quales a suis prodierint, divino spiritu afflatis, Auctoribus, nulla ex parte corruptos, sed integros nunc esse, non tam facile est determinare. Tanta siquidem hac super re est Scriptorum varietas sententiarum, ut vix quam inoffenso pede sequaris, invenies. Sunt namque, qui putant Veteris Testamenti Libros Hebraico idiomate conscriptos, fere omnino esse depravatos; ita sentire videntur Iacobus de Valentia, Melchior Canus, et Leo. Alii vero existimant, Hebraicum textum non esse omnino corruptum, sed tantum magna ex parte; idque factum a Judæis dicunt in odium Christianæ Religionis, ut nempe Sacras Veteris Testamenti Scripturas nostris exemplaribus facerent, nedum difformes, sed et contrarias. Hujus sententiæ sunt Alphonsus Salmeron, Iacobus Gordonus, aliique ex recensioribus. Alii tandem putant, Veteris Testamenti Libros corruptos quidem fuisse, sed non ex malitia, et data opera, sed vel temporum injuria, vel Rabbinorum, atque amanuensium imperitia, vel potius oscitantia, præsentim in apponendis punctis, quæ apud Hebræos locum vocalium tenent, aut etiam soni inter se cognationem habent. Hanc sententiam, post Hebraeorum Doctores, primi sequuntur Driedo, Bellarminus, Amandus Polanus, et Petrus Cevallerius. Quoad vero Libros Novi Testamenti, eos licet fere omnes græce scriptos, omnino tamen integros, illæsosque non agnoscunt auctores, quin potius textum Graecum, adductis exemplis, depravatum ostendunt. Quid nos in tanto dissidio sensiemus, mox patebit. Interim ad majorem dicendorum intelligentiam

§. 165. *Schol*: Sacrorum Librorum integritas tripliciter hic spectari potest. 1. nempe quoad doctrinae, quam continent, substantiam; 2. quoad accidentia; 3. quoad substantiam simul, et accidentia.

§. 166. *Coroll*: Tria igitur in hoc Capite, distinctis propositionibus, absolvemus; 1. scilicet: An Sacri Libri, quoad substantiam, sint integri; sive, an doctrina in illis contenta sit talis, qualis fuit a Sacris auctoribus primo tradita; 2. an sint integri quoad accidentia, nempe nihil sit in eis mutatum, etiam quoad litteras, et puncta etc. 3. Nihil prorsus corruptionis subjerint; integrique sint, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad accidentia. His ita expositis, sit.

PROPOSITIO I.

Sacri Veteris Testamenti Libri Hebraico idiomate conscripti, quoad substantiam, ad Christi usque tempora, integri, incorruptique persliterunt.

§. 167. *Prob*: Si Veteris Testamenti Libri, Christi tempore, integri non fuissent, Christus, qui summa erat sapientia, non eos laudasset, nec Iudaeos, ut moveret ad suam fatendam Divinitatem, ad illos remisisset; Atqui Christus, Libros illos laudat, ad eosque remittit Iudaeos, ut suam agnoscant Divinitatem, dicens (Ioan: V. v. 36.): *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt, quae testimonium perhibent de me*: ergo etc. Deinde si laudati Libri, malitia fuissent a Iudaeis depravati, Christus, qui illis plura objecit vitia, non tacuisset proculdubio istud omnium maximum; Atqui nunquam Christus de hoc vitio Iudaeos redarguit; igitur etc. Rursus si Libri illi tunc temporis depravati fuissent, id vel accidisset ex Iudaeorum malitia, vel ex librariorum, atque amanuensium imperitia; Atqui neu-

tro ex capite id fieri potuit: Non 1. ex Iudaeorum malitia, nam Iudaei erga Sacros Libros tanto ferebantur amore, tantoque Legis suae studio, ut mori potius elegissent, quam Legis Libros videre vel in minima parte corruptos; non secundo ex librariorum imperitia; Nam ultra quamquod Divinae repugnat providentiae permittere, ut Libri, quos hominibus ad salutem consequendam dederat, temporis injuria, vel librariorum ignorantia, in rebus gravis momenti interpolarentur, hoc solo suaderi posset, quod vix editi fuerint, cum in infinita se diffuderint exemplaria, quos multitudine, ut et dissidiorum, quae tam apud Iudaeos, quam apud Christianos viguerunt frequentia, factum est, ut corrumpi nullatenus potuerint. Tandem Iudaei ipsi suspecti nunquam fuerunt de Sacrorum Librorum integritate; quippe sciscitante Herode, ubi Christus nasceretur, juxta Scripturas, in Bethelem Iudae, responderunt; ergo etc.

PROPOSITIO II.

Veteris hujusmodi Testamenti Libri, nec etiam post Christi mortem, et Apostolorum tempora corrupti fuerunt.

§. 168. *Prob:* Etenim ultra supra laudatas rationes; *credibile* non est, verbis utor D. Augustini (Lib: XXV. de Civitate Dei c. 13.), *ipsos a codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem*; maxime, cum etiamnum Iudaeos modernos videamus, summa observantia, atque religione, Sacram Scripturam prosequi. Sed esto voluissent, id tamen non tam faciliter facere potuissent, ob innumeras exemplarium copias, quae per universas fere Mundi partes inveniebantur dispersas; et impossibile prorsus videtur, Hebraeos omnes per omnes Orbis Regiones dispersos, ad hoc patrandum flagitium convenire po-

tuisse; maxime cum non deessent Iudaeorum peritissimi, quorum bene multi ad Fidem conversi reperiebantur, et apud quos Hebraici codices asservabantur, qui errores facile detegissent; quod tamen cum nunquam factum legamus, optime concludimus, Iudaeos Vetus Testamentum non corrupisse. Deinde si in odium Christianae Religionis voluissent Iudaei Hebraicum textum corrumpere, id maxime fecissent quoad eas sententias, quae Christum respiciunt; Atqui hoc non fecerunt, cum ipsissima Vaticinia, et quidem clariora, quam in editionibus Graecis, et Latinis, in Hebraeis codicibus reperiantur; ergo etc. Tandem id a Iudaeis factum fuisse repugnat consilio Dei, et providentia circa veram Christi Ecclesiam. Nam cum Deus, uti docet Augustinus (Lib: 18. de Civ: Dei c. 46.), Iudaeos, ob perfidiam, et execrabile scelus in filium sunt Unigenitum patratum extinguere potuisset, eos tamen reservavit, voluitque per universum Terrarum Orbem dispergi, ut illis per universum Mundum Scripturas Sacras circumferentibus, ab ipsis infensissimis hostibus veritas Christiana testimonium acciperet, ut cum Pagani non crederent quae nos de Christo dicimus, ejusque Ecclesia, mitteremus eos ad Iudaeos, Fidei nostrae inimicos, qui Libros nostros circumferunt, in quibus eadem legentes, quae nos praedicamus, fierent certiores, non esse illa a nobis conficta. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Hebraicum Veteris Testamenti textum non est omnino integrum quoad accidentia.

§. 169: Prob. Nam vel temporum injuria, vel librariorum oscitantia, plura passim irrepserunt menda, quae licet Scripturae substantiam non mutent, textum tamen non reddunt undequaque integrum. Porro errores revera istos, amanuensium imperitia, maxime in ap-

ponendis punctis, in Hebraicum textum irrepsisse, communis est sententia. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

Novum Testamentum, græce editum, non est undequaque integrum.

§. 170. Prob: Etenim multa in illo sparsa inveniuntur menda, partim ex malitia Hæreticorum, partim librariorum inscitia, vel negligentia. Siquidem, testibus Tertulliano (Lib: V. adv: Marcionem), Eusebio (Lib: V. Hist: Eccl: c. ultimo), Irenæo (Lib: 1. adv: haereses c: 29.), Basilio (Lib: 2. c. Eunomium), Ambrosio (Com: in Epist: ad Rom:, et in Proemio Lib: 1. sup. Lucam), Hieronymo (in Proem. sup. Epist: ad Rom:), et Origene (in Com: sup. eamdem Epist: ad Rom:), Graeci, ut ad suum sensum traherent Scripturas, eas in multis deturparunt, mutilaruntque. Revera multa in graecis Codicibus leguntur, quae in veris Scripturis desiderantur. Contra vero alia in illis desunt, quae in illis inveniuntur (Nihil hic addo de rebus permutatis). Sic tota clausula: *ei autem, qui potens est*, non invenitur in pluribus Codicibus graecis; contra vero in omnibus graecis Codicibus verba ista leguntur: *Quia tuum est Regnum, et potentia, et gloria in sæcula*: addita orationi Dominicae (Matt. VI.), quae interim verae Scripturæ partes non sunt. Ita (Corinth: I. C. XV. v. 41.) legimus nos Latini: *Primus homo de Terra terrenus, secundus homo de Cœlo Cœlestis*; Graeci vero acriter contendunt, non ita legendum esse, sed hoc modo: *Primus homo de Terra terrenus, secundus homo Domini e Caelo*; quam quidem corruptionem, Marcionis corruptione remansisse, indicat Tertullianus (Lib: V. adversus Marcionem).

§. 171. *Animad.* Esto tamen dictum sit, laudatos

Libros, aliqua ex parte Haereticorum fraude, et odio in Romanam Ecclesiam fuisse corruptos, nihilominus id non obstat Fidei nostrae, quandoquidem Romana Ecclesia emendatam habet, atque authenticam Sacrae Scripturae Versionem, in qua nihil est erroris, quod rectæ Fidei vel minimum repugnet. Haec profecto est Latina Vulgata, de qua coram.

CAPUT X.

De Sacrorum Librorum, sive Veteris, sive Novi Testamenti inspiratione, deque lingua, qua scripti fuerunt, et variis Scripturae Versionibus.

§. 172. *Animad*: Duo vel maxime examinanda hic primo se offerunt. Primum: an Scriptores in Sacris Libris edendis fuerint divinitus inspirati. Secundum: Qua ratione fuerint a Deo inspirati. Primum ex iis, quae in antecedenti Capite exposuimus, solutum maneret; Cum namque ostenderimus, Sacros Libros genuinos esse, genuitate divina; optime sequitur, Sacros Scriptores, in illis edendis, divinitus fuisse inspiratos. Verum utrumque hoc, et quidem brevitate, qua possumus, examini subjiciemus. Ad rem itaque.

§. 173. *Def. Inspiratio hic est divina quaedam, nec communis ordinis motio ad aliquid certum, ac fixum praesenti tempore dicendum, et scribendum excitans, et impellens, sive res illa scribenda, vel dicenda nota sit prius, sive ignota.*

§. 174. *Schol*: Quoniam vero in Sacra Scriptura tria considerari possunt: Nempe I. Verba; II. stylus, sive verborum compositio, atque constructio; et III. sensus, res scilicet, quae verbis exprimuntur; hinc inspiratio tripliciter spectari potest; nempe quoad verba, quoad stylum, et quoad sensum.

§. 175. *Coroll.* Cum ergo discutitur in praesentiarum qua ratione Sacri Scriptores in sacris Libris edendi

fuerint divinitus inspirati? investigatur, an Spiritus Dei, quoad verba, an potius quoad stylum, vel quoad sensum, eos in scridendo inspiraverit. Circa quod variae sunt

Auctorum Sententiae.

§. 176. Sunt namque, qui Sacris Scriptoribus omnem denegant divinam inspirationem, Sacrosque Libros, humano spiritu conscriptos, dicunt. In hunc errorem lapsi sunt Anomaei, teste S. Epiphanio (hæresi 76.), a quibus nihil dissentire videtur Spinoza, qui (Cap: II. et 12. Tract: Theolog. Politici), nullam agnoscit, etiam in Prophetis, divinam inspirationem. Alii vero tenent, Sacros Scriptores, non in omnibus rebus, et sententiis, sed in iis tantum, quae ad Fidem, et mores spectant, fuisse divinitus inspiratos; ita Capellus cum aliis; quibus consentire videntur Socinus (in Lect: Sacris Pag. 301.), et Marcus Antonius de Dominis. Alii deinde putant, Sacros Scriptores, in iis, quae aliunde nota erant ipsis, non fuisse specialiter inspiratos, sed se gessisse humano modo. Ita Hugo Grotius (in voto pro pace), cui adhaeret Holdenus (Lib: de resolutione fidei C. V. Lect. 1.). Alii insuper in Sacris Libris scribendis necessariam non esse dicunt Sacris Scriptoribus divinam inspiationem, ad hoc, ut Liber divinus dicatur, sed ad id sufficere dicunt, si postquam Liber ab auctore sit diligenter scriptus, accedat Sancti Spiritus de veritate illius Libri testimonium: Hujus sententiae fuerunt quidam Iesuitae Lovanienses. Alii in omnibus Sacræ Scripturae partibus, etiam in scribendis rebus aliunde notis, divinam agnoscunt revelationem. Alii vero inspirationem volunt in omnibus, praeterquam in Vaticiniis, in quibus divinam admittunt revelationem. Alii e contra, non agnoscunt in omnibus inspirationem, neque revelationem, sed assistentiam

divinam, qua suffulti Sacri Scriptores, in errores, ajunt, cadere non potuisse. Et illi quidem, qui divinam admittunt inspirationem in duas scinduntur partes; quidam nemque inspirationem ad solas restrigunt sententias, quidam vero ad res, ad sententias, et ad ipsa verba eam extendunt. Quid ergo in tanta sententiarum varietate dicemus? Quam amplectemur sententiam? Mediam tenebimus viam; unde sit.

PROPOSITIO.

Res omnes, et sententiae, quae in sacris Libris continentur, a Scriptoribus Deo inspirante, conscriptae fuerunt.

§. 177. Prob: Concl: multiplici argumentorum genere, et primo ex ipsorum Sacrorum Scriptorum auctoritate. Apostolus ad Romanos (Cap: III. v. 2.): *Verbum Dei*, Sacram Scripturam appellat; De Judaeis namque loquens: *Credita, ait, illis eloquia Dei;* et 1. Thessalonicensium (2. 13.). *Accepisitis, inquit, illud non ut verbum hominum, sed ut vere est Verbum Dei*: Atqui Scriptura non posset dici Verbum Dei, si saltem quoad res, et sententias omnes non fuisset divinitus inspirata; Ergo etc. Deinde S. Petrus (Epist: 2. c. 1. v. 19.): *Habemus, ait, firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes* etc. et (v. 20.): *Omnis prophetia Scripturae, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati*; seu (ut in graeco est) *Spiritu Sancto acti, et impulsi, loquuti sunt Sancti Dei homines.* Id quod Marci 12. v. 36., et Lucae 1. v. 20. confirmatur, ubi legitur, Deum loquutum per os Sanctorum, qui a saeculo sunt Prophetarum ejus, et Paulus disertis verbis ad Hebraeos scribens testatur, dicens: *Multifariam, multisque modis olim Deus lo-*

quens Patribus in Prophetis etc; Atqui Prophetarum nomine apud Iudaeos intelliguntur, qui Deo inspirante, vel futura praedicebant, vel praeterita, aut praesentia occulta narrabant, vel sermonem de Divinis rebus habebant, igitur etc. Tandem Paulus ipse rem hanc, plane conficit. Nam ad Timotheum scribens, laudat eum, quod ab infantia Sacras didicerit Litteras, in iisque quammaxime delectatus fuerit; *quia inquit omnis Scriptura Divinitus inspirata*, seu (ut in Graeco est): *Omnis Scriptura est Divinitus inspirata, et utilis ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, etc.;* Igitur etc.

§. 178. *Prob*: II. Ex testimonio Iudaeorum qui, ut testantur Philo, Iosephus, aliique ex Hebraeis Doctores, unanimi consensu, Sacros Libros, Deo inspirante prodiisse tenent; adeo ut dixerit Origenes (Lib: V. c: Cælsum ad fin: T. II. p. 189) » Quod si serio » respondendum sit ad opinionem Caelsi credentis, nos » idem sentire de Scripturis, quod Iudaei, dicam » confessum esse apud utrosque, Sacros Libros Scri- » ptos esse divino Spiritu ».

§. 179. *Prob*: III. SS. Patrum auctoritate. Clemens Romanus (Epist, 1. ad Cor:): Scripturas, ait, esse Spiritus Sancti eloquia vera. Nam, sequitur Athanagoras (in legatione pro Christianis): « Prophetae Di- » vini Spiritus impulsu, quidquid in ipsis efficie- » bat, eloquebantur, cum Spiritus iis, ceu organis » uteretur, ut tibiis uti solet ad inflandum tibicen » Athanasius ad Marcellinum scribens (Epist. II.); sic eum affatur. « Omnis nostra, o fili, Scriptura, » cum vetus, tum nova divinitus inspirata, utilisque » ad doctrinam est. Quare Gregorius Nazianzenus » (Orat 3. c. Iulianum) ajebat: non licere iis, » quae ab hominibus divino numine afflatis dicta » sunt, fidem abrogare ». Nam quid est aliud Scriptura Sacra, subjungit apposite S. Gregorius Magnus (Lib: 4. Epist: 10), « nisi quaedam epistola

» Omnipotentis Dei ad Creaturam suam ». ? Tandem, ut caeteros sileam, rem totam paucis complectitur Ioannes Damascenus (Lib: II. Ortodoxae fidei), qui sic loquitur «. Per Spiritum Sanctum et Lex, et » Evangelistae, et Apostoli, et Pastores, et Docto- » res verba fecerunt, ex quo fit, ut tota divinitus » inspirata Scriptura, proculdubio utilis sit ».

§. 180. *Prob* : IV. Theologica ratione. Sacra Scriptura est Verbum, quo mediante, Deus suam hominibus patefacit voluntatem, eos in sua Lege erudit, atque in viam dirigit veritatis, suorumque mandatorum; Atqui si Sacri scriptores non fuissent divinitus inspirati, Scriptura non esse: Verbum Dei, sed Verbum hominum; Ergo etc. Deinde si res omnes etc:, suo fine frustraretur Deus; Ergo etc. Prob. min: Scriptores si absque divina inspiratione Sacros edidissent Libros, et solum humano modo se gessissent, ipsorum testimonium, utpote humanum, falsitati esset obnoxium, nec summam ac infallibilem faceret auctoritatem; adeoque cuilibet liceret, si non de omnibus, saltem de aliqua Sacrae Scripturae parte, dubitare; Atqui hoc modo Dei voluntas non innotesceret, neque per Scripturas homines erudiri possent, utpote non undequaque infallibiles; Ergo etc.

Satisfit objectionibus Adversariorum.

§. 181. *Obji.* 1. Sacri Scriptores, quoad omnes res et sententias, in Scripturis Sanctis contentas, divinitus inspirati non fuerunt, si ipsi in omnibus, divina non indigebant inspiratione; Atqui res ita se habet; ergo. etc. Prob. min: Sacri Scriptores multa propriis viderunt oculis, alia non pauca, vel traditione certa sciverunt, vel a testibus fide dignis acceperunt; Atqui in istis divina inspiratio necessaria non fuit; igitur etc.

§. 182. R. *conc:* maj: dist. min., necessaria non fuit ad res illas cognoscendas, conc:, ad scribendas, n.

min.; Ergo etc., nego consm. Esto Sacri Scriptores multa quae scripserunt, propriis viderint oculis, quemadmodum fuerunt praesertim Moyses, et Evangelista Ioannes, qui res prout viderant, scripserunt, non inde tamen recte inferri potest, divinam inspirationem illis necessariam non fuisse; Etenim si revelatione ad illa scienda non indiguerunt, saltem indiguerunt, ut illa solum, quae scripserunt, scriberent, cetera omitterent; quaedam solum utilia, et necessaria adnotarent, et non indiscriminatim omnia quae ab ipsis gesta, vel dicta sunt Quot namque, et quanta propriis viderat oculis, praeter ea in suo Evangelio narrata, Ioannes? Comes indivisibilis Christi, et junior ceteris Apostolis, plus omnibus a Christo dilectus, et dignus factus, qui fluenta Evangelii de ipso Sacro Dominici pectoris fonte potaret, certe vidit plurima, et quidem tanta, ut ex ipsius confessione, si scriberentur per singula, nec ipse Mundus capere posset eos, qui scribendi essent Libros, ut quid ergo singulas non scripsit? Quare tot facta silentio praeteriit? Numquid, quia revera tot Libros non caperet Mundus? Gerrae! Ibi namque hyperbolice loquitur Apostolus. Si ergo tam pauca scripsit, ad haec tantum, scribenda, et non alia fuit a Deo inspiratus; neque alia assignari potest ratio, cur Ioannes ad haec solum scribenda, et non alia se determinaverit.

§. 183. *Contra.* Atqui Sacri Scriptores divina non eguerunt inspiratione ad res visas scribendas; igitur etc. Prob: min: Subsm. Res ita se habet, si Scriptores se res scribere testantur, non prout fuerint divinitus inspirati, sed prout viderint. Atqui Sacri Scriptores se res scribere testantur prout viderint, non prout fuerint divinitus inspirati, dicente Ioanne (initio Epist: suae): *Quod adivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur*; et iterum, *quod vidi-*

mus, et audivimus annuntiamus vobis; Ergo etc.

§. 184. R. conc: maj: dist: min: et his, aliisque expressionibus, sacri Scriptores, divinam non agnoscunt, vel omnem excludunt divinam inspirationem, n.; secus conc.; ergo etc. n. consm. Quod sacri Scriptores aliquando fassi sint se res, prout viderant, vel a testimoniis fide dignis acceperant scribere, nulla facta mentione de inspiratione divina, id argumento esse nequit ad negandam ipsis omnem Dei inspirationem. Cum namque non semper agnoscerent ipsi se divinitus inspirari in Sacrorum Librorum scriptione; fiebat inde ut, cum primum scriberent, ea praesertim, quae ipsis aliunde nota erant, et perspecta, non adverterent se interius specialiter a Deo inspirari, unde et fatebantur se prout res vel viderint, vel a testimoniis fide dignis audierint, narrare, ut historicos se accuratos ostenderent, veraces, non impostores, et quibus fides habenda esset; cum interim, et Deus interius eos reipsa inspirabat, dirigebatque, ne vel aliquid inutile scriberent, aut utile omitterent; ut diximus in superiori responsione. Ceterum laudatum Ioannis testimonium non facere adversus nostram thesim ex eo constat, quod Ioannes, laudata in Epistola Basilidem, suosque gregales insectetur, negantes veram Christi carnem: Ut ergo ostenderet Ioannes vel ab ipso initio, istorum haereticorum errorem, fatetur se testem non solum visu, et auditu, sed et tactu esse, Christum habuisse veram Carnem, doloribus, atque infirmitatibus obnoxiam, non e Caelo delapsam, sed Materna tractam ex carne.

§. 185. *Contra.* Atqui ex iis, quae Sacri Scriptores in Sacris Libris edendis gesserunt, apertissime sequitur, ipsos divinam inspirationem non agnoscere; Ergo n. r. Prob: min: subsa: Si Scriptores Sacri divina inspiratione non caruissent, ipsamque agnoscerent, profecto ipsis opus non fuisset labore plurimo in Sacris Libris edendis, et multo minus necesse fuisset, tantam

adhibere diligentiam, immo et aurum profundere; Atqui Scriptores Sacri ex Luca, et auctore Libri II. Macchabaeorum, in sacris Libris edendis et laborem, et diligentiam, quandoque etiam aurum, impenderunt; Ergo etc.

§. 186. R. dist: maj: Si unica via semper usus sit Deus in Scriptoribus inspirandis, conc:, si diversa, et varia, n. maj:; et dist: min: Et hisce diversis mediis voluit Deus Scriptores inspirare de iis, quae scribenda erant, c:, secus, n. min: Ergo etc. n. consm. Deus O. M., non uno modo, sed multifariam multisque modis, ut ad Hebraeos testatur Paulus, Patribus in Prophetis loquutus est. In quibusdam enim ita ipse operabatur, ut illis ultro, et absque labore se offerrent, quae scribere debebant, sive sententiae, sive verba, immo et ipsa verborum compositio, ut Prophetis plerumque accidisse ipsorum scripta testantur; Ipsi namque, quin vel leviter in rebus, et sententiis conquirendis laborarent, vel aliquam meditationem adhiberent, res valde sublimes, atque impervias scribebant, et quidem summa styli elegantiam, verborumque nitore. Alios vero inspiravit, excitando eos ad omnem diligentiam, et curam adhibendam in rebus inquirendis, vel eis res occultas revelando, vel oblivione deletas, in memoriam revocando, vel quaenam scribenda, vel omittenda essent docendo, et intellectum, ac memoriam eorum speciali illustratione regendo, ne in ulla re, vel levissima, errarent. Hoc modo se gessisse cum iis, qui se laborem, et diligentiam, atque etiam aurum adhibuisse in Sacrorum Librorum editione testantur, credendum est; adeoque nihil laudato argumento adversus nostram thesim concluditur, quae semper firma, immotaque permanet.

§. 187. *Obji.* II. Quae levia sunt, atque inutilia, nequeunt dici divinitus inspirata; *Omnis namque Scriptura*, ait Apostolus, *divinitus inspirata uti-*

lis est etc. Atqui multa hujusmodi in Sacris Scripturis leguntur; Ea igitur non fuerunt divinitus inspirata; adeoque etc. Prob: min; Apostolus haec ad Timotheum (Ep: II. Cap: IV.), scribit: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Iam vero haec sententia levis est, et nullius fere utilitatis; igitur etc.

§. 188. R. conc: maj: n. min: Omnis Scriptura quae sit divinitus inspirata, utilis esse debet; at non omnia, quae in Scriptura habentur eodem modo utilitatem hominibus afferunt, licet omnia ad utilitatem hominibus afferendam conspirent. Cum namque homo aliquando illustratione egeat, aliquando correptione, aliquando doctrina, et eruditione; cumque Scriptura Sacra sit Verbum ad hominem sanandum a Deo missum, fit inde ut pro ea, quam homo habet necessitate, eam illi conferat utilitatem, atque medelam; est namque Scriptura doctrina imperitis, lumen caecis, correptio delinquentibus, consolatio tribulatis, spes pænitentibus; hoc tamen pacto, quod non omnia, quae in ipsa habentur ad eundem finem inserviant; sunt quædam ad eruditionem inservientia, alia ad correptionem, alia ad doctrinam etc. Unde bene ajebat D. Hieronymus (Epist: ad Philemonem) nihil esse leve in Sacris Scripturis: sed (en ejus verba): Quaecumque in Scripturis levia, et parva » videntur non minus esse a Deo (inspirata) » quam Creaturae vilissimæ sint a conditore Caeli, » et Terræ » Hinc et illa S. Pauli sententia, in argumento laudata, sua non caret utilitate; ea namquam erudimur, posse nos, absque offensione, et peccato, quinimmo laudabiliter, et meritorie corporis necessitatibus providere, dummodo tamen id cum debita fiat moderatione, et ad Dei honorem et gloriam referatur.

§. 189. *Contra.* Atqui in Sacris Scripturis sunt levia, et inutilia immo et quaedam, quæ divinæ re-

pugnant inspirationi; igitur etc. Prob min: Quod a Deo inspiratur determinatum esse debet, et certum, Deo namque nihil est absconditum, vel incertum; Atqui quaedam dubia, et incerta in Scripturis leguntur, uti cum dicitur apud Ioannem (Cap: II. v. 6.) *Hydriæ capientes metretas binas, vel ternas*, et apud Lucam (Cap: III. v. 23.): *Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, Filius Ioseph;* Ergo etc.

§. 190. R. conc: maj: n. min. cum consa. Cum Spiritus, qui per Sacram Scripturam nos erudit, quidque nos agere debemus ut salutem consequamur æternam suggerit, Spiritus sit veritatis, cui nihil est occultum, sed omnia nuda sunt, atque aperta oculis ejus, fieri omnino non potest, ut aliquid ab ipso inspiratum, incertum sit, vel tamquam dubium in Scriptura legatur. Unde si quædam in Scriptura observantur, quae et dubia, et incerta primo intuitu apparent, non statim judicare debemus, Deum per os Sanctorum Auctorum loquutum non fuisse, sed potius putandum, ideo illa indeterminate proferri, quia Spiritus Dei voluit se accomodare usitatae apud homines narrandi rationi. Ceterum si paulisper, ut par est, laudata in argumento perpendantur, neque vere dubia sunt, aut incerta. Et ad primam, quod attinet: Hydriae quae ibi describuntur, erant numero sex, quae non erant ejusdem mensurae; potest itaque illud Ioannis ita explicari, quod ibi fuerint Hydriae sex positae, quarum aliquae capiebant metretas binas, aliquæ ternas; sicque nulla ibi incertitudo est, dubium nullum. Secunda vero Lucæ auctoritas, non minori fulget certitudine; illo namque loquendi modo, vult Spiritus S. per os Lucæ loquentis manifestare, Jesum esse tunc circiter. 30. annorum; Adeoque in Scripturis, nec levia, nec dubia, aut incerta narrantur.

§. 191. *Contra.* Atqui in Scripturis vere dubia, atque incerta narrantur; ergo etc. Prob. min: Ita se

res habet, si impsimet Scriptores se errare potuisse putarint, veniamque de erroribus inadvertenter in scribendo commissis, a lectoribus petierint; Atqui id revera factum fuisse aliquando a Sacris Scriptoribus, constat ex Auctore Lib: II. Macchabaeorum; igitur etc.

§. 192. R. dist: maj: ob rerum incertitudinem n., secus conc: maj:, et dist: min:, qui veniam de erroribus, quoad res, et sententias, quæ forsan illis minus notæ erant, n:, secus. conc: min:, et n. consm. Diximus in superioribus responsionibus, fieri potuisse, et revera aliquando evenisse, ut Sacri Scriptores in Sacris Libris edendis non opinarentur interius a Deo inspirari; Cum ergo ipsi humano modo se res scribere putarent, mirum esse non debet, si humano etiam modo loquuti sint, et morem ceterorum historicorum gesserint, veniam petendo de rebus aut minus concinne expositis, aut non ea, qua decebat styli elegantia narratis. Sed hoc nihil nobis obstare potest, qui defendimus, Sacros Scriptores inspiratos a Deo fuisse quoad res, et sententias, non vero etiam quoad stylum, et verba. De facto auctor Libri II. Macchabaeorum non petit a lectoribus veniam de aliqua sententia, vel re, quæ potuerat esse vel falsa, vel erronea, quam interim ipse, per errorem, putare potuisset et veram, et certam, sed veniam postulat rationis minus politæ, vel styli minus ornati; hæc siquidem ejus verba sunt: *Et si quidem bene, ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Nihil igitur ex hoc argumento adversus nostram thesim concluditur; Adeoque etc.

Quæres. *Utrum sacra Scriptura divinæ sit atque infallibilis auctoritatis?*

§. 193. R. Adfirm.: Etenim Sacra Scriptura est Divina revelatio, seu Dei Verbum litteris consignatum (§. 116.); Atqui Dei Verbum est infallibilis auctoritatis, quia Deus est summe verax, neque per se

(§. 55.), aut per alium mentiri potest (§. 57.); Ergo etc. Ulterius si Sacra Scriptura infallibilem non haberet auctoritatem, Jesus Christus ad eam non remisisset Judaeos, ut certiores redderentur de sua divina in terris missione, et vera Divinitate; Atqui ad Scripturam eos remisit dicens (Jo: V. 39.): *Scrutamini Scripturas, et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*; Ergo etc. (*a*).

Quaeres. *Num jure Tridentina Synodus Libros Deutero-Canonicos in Canonem sacrarum Scripturarum retulerit?*

§. 194. R. Adfirm.: Nam laudati Libri jam a majori parte Ecclesiæ Catholicæ, et praesertim ab Ecclesia particulari Romana, ceterarum omnium matre, et magistra, uti Canonici, atque Divini habiti fuerant. Sane Libri Esther, Baruch, Danielis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, Judæ, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, jam ab anno 314. in Concilio Laodiceo (Can: 59. alias 60.), in Canonem relati fuerant. Insuper Libri Tobiæ, Judith, duo Machabæorum, et Apocalypsis B. Joannis Canonici declarati fuerant in Concilio Carthaginensi III. (Can: 47.). Quibus anno 405. Innocentius I. (Dec: 27. et Epist: 4. ad Exup:) adjunxit Librum Sapientiæ; et tandem Florentinum Concilium, Anno 1458., omnes simul complexum est » Tridentina itaque Synodus » vetustatem scrutata; et Ortodoxorum Patrum exem- » pla secuta, omnes Libros, tum Veteris, cum Novi » Testamenti, cum utriusque unus Deus sit Auctor » . . . pari pietatis affectu, et reverentia suscipit, » et veneratur (Ses. IV. Dec: de Can: Script: «. Adeoque jure etc.

Quaeres. *Qua lingua ssripti fuerint Sacri Libri cum Veteris, tum Novi Testamenti?*

§. 195. R. Libri Veteris Testamenti Hebraico idio-

(a) *Leg.* Boucat *Tom. IV. diss.* 1. *art.* 2.

mate scripti fuerunt, exceptis aliquibus, quorum alii lingua Chaldaica, alii græca exarati fuerunt. Libri autem Novi Testamenti Græca primitus editi fuere ab Apostolis, excepto Evangelio S. Matthæi, quod lingua Syriaca datus fuit, S. Pauli Epistola ad Hebræos conscripta hebraice; et juxta aliquos, Evangelium S. Marci, lingua Latina Romæ editum.

Quæres. *Quot fuerint Sacrorum Bibliorum Versiones?*

§. 196. R. Multæ ab auctoribus traduntur Sacrorum Bibliorum Versiones, at præcipuæ duæ sunt, *Græca* nempe, quæ vocatur etiam *Septuaginta Interpretum*, et Latina, quæ *Vulgata* dicitur. Atque Latina insuper, alia est antiqua incerti Auctoris, alia nova a S. Hieronymo data, ex quibus una conflata est, quæ *Vulgata communis* appellatur, quæque modo in Ecclesia legitur.

Quaeres. *Quare Hebraici texus Græca Versio vocetur Septuaginta Interpretum?*

§. 197. R. Ita vocatur, quia a septuaginta, vel 72 Senioribus Judæis facta fuit, jussu vel potius postulatione Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti. Hic namque, ut Judaicis Libris suam Bibliothecam, quam Alexandriæ, conquisitis undique libris, erexerat, ditaret, septuanginta duo ex Senioribus Judæis in hebraica, et græca Lingua peritissimis adhibuit, ut hebraicum Textum in græcum verterent, quod et illi feliciter in Insula Pharos, spatio septuaginta dierum, ut ajuut, mirabili inter se consensione præstarunt.

Quaeres. *Quantæ sit auctoritatis* 70. *Interpretum Versio?*

§. 198. R. Olim fuit divinae auctoritatis. Ea namque usi sunt Apostoli; Ea usa est Ecclesia prioribus quinque saeculis. Quare Augustinus (lib. II. de Doct: c. 75.) » Septuaginta Interpretum, ait quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas, qui » jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia

» Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum » tot hominum fuerit ». An autem dicta Versio nunc eamdem habeat auctoritatem, dubitatur a nonnullis, sed immerito. Nam Sixtus Papa V. loquens de ea Versione, studio, et opera Cardinalis Caraffæ, anno 1580., ex vetustissimo Codice Bibliothecae Vaticanae editae: » Volumus, inquit, et sancimus ad Dei glo- » riam, et Ecclesiae utilitatem, ut Vetus Graecum » Testamentum juxta LXX. ita recognitum, et expo- » litum, ab omnibus recipiatur, et retineatur; quo » potissimum ad Latinae Vulgatae editionis, et Ve- » terum SS. Patrum intelligentiam utantur; prohi- » bentes, ne quis de hac nova Graeca editione au- » deat in posterum quidquam immutare.

Quaeres. *Qua ratione Latina Vulgata Versio a Tridentina Synodo authentica declarata sit?*

§. 199. R. Verbis ejusdem Concilii (Sess. IV. Decr. de edit. etc.). Sacrosancta Synodus considerans, non » parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex » omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur » Sanctorum Librorum, quaenam pro authentica ha- » benda sit, innotescat; statuit, et declarat, ut haec » ipsa Vetus, et Vulgata editio, quae longo tot sae- » culorum usu in ipsa Ecclesia probata est in pu- » blicis lectionibus, praedicationibus, et expositioni- » bus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam » rejicere, quovis praetextu audeat vel praesumat «. Utilitas itaque hujus Vulgatae editionis, necnon ejus probata authenticitas in Ecclesia, propterea quod a tot saeculis in usu erat, rationes motivae fuerunt, quare eam Tridentinum authenticam declaravit. Advertendum tamen, non eo sensu talem declaratam fuisse, quod debeat anteponi hebraicis, et graecis fontibus germanis; neque quod ea sit ab omnibus vel levissimis erroribus purgata: sed solum quod sit simpliciter, et sincera in iis, quae ad Fidem, et mores spectant.

Quaeres. *Quaenam sint vernaculæ Bibliorum versiones, et num jure Romana, atque Catholica Ecclesia, promiscuam in linguis vulgaribus Sacræ Scripturae lectionem interdixerit?*

§. 200. R. 1. Vernaculae Bibliorum versiones illae dicuntur, quae in lingua vulgari, et omnibus alicujus Patriae communi fiunt: Uti essent in Lingua italica pro Italis; in Lingua gallica pro Gallis etc.

§. 201. R. 2. Jure Romana, atque Catholica Ecclesia promiscuam in linguis vulgaribus Sacrae Scripturae lectionem interdixit; « Cum, experimento mani» festum sit, si Sacra, (Reg: IV. Ind: lib. proh.) » Biblia vulgari lingua passim sine discrimine per» mittatur, plus inde ob hominum temeritatem de» trimenti, quam utilitatis oriri «. Revera quis est qui nesciat, haereses, et schismata potissimum ex Scripturis male intellectis originem habuisse? Quis ignorat quam periculosum sit imperitis, atque praesertim mulieribus legere, aut audire in lingua vernacula *Cantica Canticorum*, vel illud Osee (Cap: 1.); *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum?* Quae item lapides offensionis, et petrae scandali non erunt, quae leguntur mendacia, licet apparentia Judith, Jacob, et Abrahae; item antilogiae, quae passim, minus intelligentibus in lectione Sacrae Scripturae offeruntur; sicuti etiam incestum Loth, adulterium Davidis, et quod Sara, Rachel, et Lia dederint ancillas viris suis in concubinas; quodque Salomoni Regi fuerint uxores quasi Reginae septigentae, et concubinae, trecentae etc.? Jure itaque etc. (1).

---

(1) *Legatur* Franc. Henno *Tom. I. Tract. II. De Virt: art. V.* Ex Charmes *Tom.* 1. *quæst. VII. art.* 4.

CAPUT XI.

De Sacrarum Scripturarum claritate, et obscuritate; deque variis ipsarum sensibus.

§. 202. *Def. Sacra Scriptura est verbum Dei ab auctore hagiographo, afflante Spiritu Sancto scriptum, et uti tale ab Ecclesia nobis manifestatum.*

§. 203. *Coroll.* Scriptura itaque Sacra, jure optimo tamquam Fidei nostrae norma, atque regula tenenda est. Ipsa namque est Dei verbum infallibile. Verum dici ne poterit etiam Fidei judex, ut sola ad omnia dogmata Fidei definienda sufficiat?

Oppositæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 204. Sociniani, Lutherus, Calviniani, Brentius, aliique Novatores contendunt, Sacram Scripturam obscuram non esse, sed adeo claram, ut nulla explicatione, nullo interprete, nulloque Judice indigeat qui controversias, forte oriri possent circa ejus veram intelligentiam, dirimat. Quare, non solum Fidei normam, sed et Fidei judicem talem esse S. Scripturam tenent, ut sola sufficiat ad omnia Fidei dogmata definienda. Contra sentiunt Catholici, contra quos loquens Illiricus (in praef: ad clavem Scrip.) « ait: Horrendum in modum blasphemant, vociferantes, esse obscuram, ambiguam, non etiam sufficientem ad plenam institutionem christiani hominis ad salutem. »

§. 205. *Animad:* Cum nos Catholici S. Scripturam obscuram esse dicimus, non intelligimus, eam in omnibus suis patribus talem esse; sed id solum, volumus, multas in ea offendi loquutiones, quae attenta etiam totius orationis serie, adhuc tamen non facile comprhendatur, quem potius sensum prae alio, illae necessario admittant.

PROPOSITIO.

Sacra Scriptura non est adeo clara, et perspicua, ut sola ad omnia dogmata definienda sufficiat.

§. 206. Prob. 1. Si Sacra Scriptura esset aperta, unusquisque posset eam intelligere, ejusque sensum verum assequi; Atqui hoc est omnino falsum; Etenim quis sapientior Davide, quem Deus juxta cor suum quaesivit, et qui Sacras Scripturas scrutabatur die ac nocte? Et tamen, orans (Psal: 118. v. 1. 21) ait Deo: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.* Quis in Scripturarum lectione versatior quam Eunchus Reginae Candacis Æthiopum, qui etiam itinerando, super currum suum legebat Isaiam Prophetam? et tamen, cum ei obviam fuisset Philippus, atque interrogasset (Act: VIII. v. 30.): *Putasne intelligis quae legis?* ingenue fassus est, absque interprete intelligere non posse; respondit namque: *Quomodo possum intelligere si non aliquis ostenderit mihi?* Quinam potuissent melius Scripturam intelligere, quam Apostoli, qui a Jesu Christo continuo audiebant sermones de rebus in Scriptura contentis, quae vel jam eventu in dies comprobabantur, vel infallibiliter eventurae praedicebantur? Et tamen saepe legitur in Evangelio (Lucae XVIII. v. 34.), quod *ipsi non intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant, quae dicebantur.* Quinimo etsi Jesu Christi morte omnia impleta essent, quae scripta erant de illo, et ille dixerat saepius eventura, nihilominus, cum a mortuis resurrexisset, ipsis debuit aperire, et revera aperuit sensum ut intelligerent Scripturas. Scriptura ergo non est adeo clara etc., ut praetendunt Haeretici, sed obscura; immo in ea, ut in Epistolis S. Pauli observavit Princeps Apostolorum (Epist. II. C. III.

v. 16.) *sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant.* Sed quid plura si Lutherus ipse hanc tandem cognoverit, et fassus sit Divinae Scripturae obscuritatem? *Scio*, enim, scribit (Praef: in Psal:) *esse impudendissime temeritatis, eum qui audeat profiteri unum Scripturae Librum a se in omnibus partibus intellectum.* Et alibi (In Symposiaci Cap: 1.): *In Scripturis vix scimus A, B, C, adhuc non recte; Ergo etc.*

Adversariorum objecta solvuntur.

§. 207. *Objic.* I. Ex Scripturis. Deuteronomii cap. 30. legitur: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie non supra te est .... sed juxta te est sermo valde, in ore, et corde tuo, ut facias illum;* Ergo etc.

§. 208. R. Laudatum Scripturae testimonium nihil contra expositam propositionem facit, quippe non loquitur ibi de intelligentia totius Sanctae Scripturae, et de observantia omnium mandatorum, quae in ea continentur, sed de praeceptis, et caeremoniis solum Legis Mosaicae, ut versu antecedenti fit clarum, ubi legitur: *Si custodieris praecepta ejus, et caeremonias, quae in hac lege conscripta sunt.* Nec mirum; nam cum praecepta Decalogi pertineant potissimum ad Legem naturae, quae cordibus omnium insculpa est, facilem habent intelligentiam. Licet nec omnia in Decalogo contenta facilia intellectu dicenda sint; quippe sunt ibi etiam praecepta quaedam supernaturalia, quae sine gratiae auxilio nec intelligi, nec observari queunt.

§. 209. *Contra*: Atqui non ea solum quae in Decalogo continentur, sed omnia quae in tota Scriptura habentur clara sunt, et facilia intellectu; ergo n. r. Prob. subsm.: Sacra Scriptura non raro dicitur *lumen, lucerna lucens*, juxta illud Davidis (Psal. 18.)

Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos, et alibi (Psal. 118.): *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Atqui lumen, lucerna illuminans indicant claritatem; Ergo non solum etc.

§. 210. R. Luminis, lucernæ, ac lucis nomine Sacram Scripturam designari, nescio an sit qui audeat denegare. At qua ratione? Forsitan quia ipsa ita est clara, ut nulla egeat interpretatione, et sufficiat ad Fidei dogmata definienda? Minime quidem; sed quia ubi ope Divini luminis, Traditionis, et Ecclesiae est intellecta, atque explicatà, mentem illustrat.

§. 211. *Contra*: Atqui Scriptura ideo comparatur lucernæ, quia clara est, et interpretatione non indiget; ergo nulla r. Prob. subsm.: Si aliqua res obscura foret in Sacra Scriptura, ea certe esset Prophetia, vel propheticus sermo; Atqui propheticus sermo dicitur *lucerna lucens*, juxta illud S. Petri (II. c. 1. v. 19.): *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco*; Ergo etc.

§. 212. R. Laudato in loco nihil aliud innuere vult S. Petrus, quam differentiam inter Veterem, et Novam Legem, quod haec nempe sit clarior illa, et prophetiis ipsis firmior; Nam Lex Vetus praefigurabat Christum, Nova autem Christum, et veritatem praesentem habet. In illa omnia in umbra, et figuris contingebant Judaeis, in ista, lux Evangelica omnes expulit tenebras, et veritas elucescit; jure itaque eo in sensu ait, Fidem Christianam prophetico sermone firmiorem esse, non vero quod propheticus sermo esset et ipse clarus (quis namque nescit esse obscurum?). Id confirmat idem Apostolus sequentibus his verbis: *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturae, propria interpetratione non fit*: Quibus, duo supponere videtur, tamquàm inconcussa; primum videlicet, quod omnis prophetia Scripturæ indiget interpretatione: Secundum, quod hæc inter-

ipretratio fieri non debet *proprio acumine*, *et ingenio naturali et humano*, *proprio sensu*, *privata doctrina*, *vel auctoritate*, ut ait Tirinus (in hunc loc:).

§. 213. *Objic*: II. Christus volens Iudaeos inducere ad suam Divinitatem cognoscendam; ipsumque verum Messiam promissum confitendum, ad Scripturas eos remisit dicens (Ioan: V. v. 39.): *Scrutamini Scripturas* . . . . . *Et illae sunt*, *quae testimonium perhibent de me*; Ergo falsa propositio.

§. 214. R. dist: antec. Christus etc: ad Scripturas eos remisit, tamquam ad unicum judicem, n. ante: namquam ad regulam, normam vel testimonium subdist:, tamquam ad regulam, et normam unicam, n. ans, secus, conc: ans; Ergo etc:, n. consm. Christus Dominus volens Iudæos convincere de sua Divinitate, atque superna in hunc Mundum missione, non uno, sed variis testimoniis usus fuit. Et sane, Ioannis Baptistæ testimonio usus fuit, qui dixit (Ioan: v. 34.): *Et ego vidi*; *et testimonium perhibui*, *quia hic est filius Dei*. Usus fuit suorum operum mirabilium, quae in Dei Patris sui nomine operabatur, nec non Patris ipsius testimonio, quod certe omnibus aliis majus est. Videns autem quod omnibus his testimoniis nihil proficiebat, quia Iudaei adhuc obstinati in incredulitate persistebant, sciens eos in honore habere Sacras Scripturas, ad illas eos remittit, dicens; *Scrutamini Scripturas* . . . . *et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*, quibus satis clare ostendit, illos ad Scripturas remittere, non quasi illae essent Iudex, qui Fidei controversias resolveret, sed ad solam normam, et testimonium.

§. 115. *Contra*. Atqui Christus Iudaeos ad Scripturas remisit, quia ipsae sunt Iudex controversiarum Fidei; Ergo n. r. Actorum (Cap: XVII. v. 11.) legitur, quod Beroeaenses, et Thessalonicenses, *qui susceperant verbum cum omni aviditate*, *quotidie scrutantes Scripturas*, *si haec ita se haberent*. Quibus

positis, en argumentum. Beroeaenses accépto verbo Dei, ad Scripturas Sacras recurrunt, scrutantes eas, ut securi, et certiores omnino redderentur de veritate eorum, quae ipsis a Paulo fuerant praedicata; Ergo Scripturas judicem controversiarum Fidei agnoscebant; Igitur Christus, Iudaeos etc.

§. 216. R. admitt: auct:, n. utramque consm. Beroeaenses ad Religionem Christianam, prædicatione S. Pauli Apostoli, non ideo ad scrutandas Scripturas se dederunt ut Fidem susciperunt, sed ut in Fide magis, magisque firmarentur, atque stabilirentur, immò quotidie crescerent, videntes, quae a Paulo didicerant, plene consentire cum iis quae a Patribus, et Prophetis antea fuerant praedicta. Non ergo Sacram Scripturam judicem Controversiarum, sed ad summum, uti regulam et normam agnoscebant. Falsum igitur omnino est, Christum Iudaeos ad Scripturas remisisse, quia ipsae erant Iudex Controversiarum Fidei.

§. 217. *Contra.* Atqui non solum uti norma, sed etiam uti controversiarum Fidei judex habenda est Sacra Scriptura; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Sacra Scriptura non est amplius Liber clausus, atque sigillis septem signatus; Christus namque solutis sigillis, illum aperuit; unde et mysteria, quæ in eo involvebantur jam patefacta fuerunt: Ergo etc.

§. 218. R. Quod in libro Apocalypsis (Cap. V. v. 9.) dicatur Agnum, nempe Iesum Christum, de quo dixerat Ioannes (Ioan: I. v. 29.): *Ecce Agnus Dei*, Librum, nempe Sacram Scripturam aperuisse, at que solvisse signacula ejus, non ita accipiendum est, quasi per Christum Dominum adeo clara raddita sit Sacra Scriptura, ut nullius indigeat explicatione, atque per se sola sufficiat ad Fidei dogmata definienda, tamquam legitimus judex; sed solum quod Christus sua vita, passione, et morte omnia compleverit mysteria, quae in Lege, Prophetis, aliisque Scripturis de ipso erant. Ad rem S. Gregorius (Hom: XVI. in

Ezech.): « Signatum; ait, Librum solus leo de» Tribu Iuda aperuit, quia omnia ejus nobis My» steria in sua passione, ac resurrectione patefecit » Nihil ergo adversus nostram thesim facit quod ex Apocalypsi opponitur. Adeoque etc.

Quæres. *Quotuplex sit Sacrae Scripturæ sensus?*

§. 219. R. Duplex principaliter est sensus Sacræ Scripturae; *litteralis* nempe, seu historicus, et *Mysticus*; id namque videtur significari Libro illo tum Ezechieli (Cap: II.), tum Joanni ostenso (Apoc: Cap: V.): qui nempe *erat scriptus intus et foris*. *Sensus litteralis* est ille, qui immediate significatur per verba sive proprie, sive metaphorice accepta. *Sensus mysticus* est ille, qui non immediate per verba, sed per res ipsas, verbis significatas, indicatur: Sic vox *aqua* in Sacra Scriptura litteraliter, significat elementum, uti cum dicitur Genesis (Cap. 1. v. 9.), *Congregentur aquae* · Spiritualiter vero tribulationes, et angustias vitæ praesentis, veluti cum dicit David (Psal: 58. v. 1.); *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

Quæres *Quotuplex sit sensus litteralis Sacrae Scripturae?*

§. 220. R. Duplex est, *proprius* nempe, et *Metaphoricus*. Prior est ille, quem verba proprie accepta, immediate significant. Posterior vero est ille, qui per verba figurate accepta, immediate significatur. Ita vox *Leo*, in sensu litterali proprio significat leonem, uti Judicum XIV. 6., in sensu autem litterali metaphorico, significat Christum, ob suam fortitudinem; velut in Apocalypsi (Cap: V. v. 5.).

Quaeres. *Quotuplex sit sensus Mysticus Sacrae Scripturæ?*

§. 221. R. Triplex est, *Allegoricus* nempe, *Tropologicus*, et *Anagogicus*. Allegoricus est, dum verba, ultra sensum litteralem significant aliquid pertinens ad Fidem, aut Ecclesiam militantem; Tropo-

logicus est, dum ultra sensum litteralem, importat aliquid ad morum instructionem pertinens; Anagogicus tandem est, dum praeter sensum litteralem importat aliquid spectans ad Beatitudinem, vel Ecclesiam triumphantem.

§. 222. *Coroll.* Quatuor ergo generaliter loquendo, sunt Sacrae Scripturæ sensus, qui quatuor etiam Ecclesiæ Doctoribus tribuuntur; 1. Litteralis, qui est de rebus gestis, et S. Hieronymo; 2. Allegoricus, qui est de credendis, et S. Ambrosio; Tropologicus, qui est de faciendis, et S. Gregorio; Anagogicus tandem, qui est de sperandis, et S. Augustino tribuitur. Omnes hi Sensus hoc vulgari disticho indicari solent.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

§. 223. *Schol:* Quamvis vero in tota Sacra Scriptura Sensus literalis semper inveniatur, non semper tamen adest in quolibet Textu Sensus mysticus, Nam ut loquitur S. Epiphanius (Lib: II. Hæresi 61.): *Non omnia habent verba Divina opus allegoria, sed prout se habent accipienda sunt.* Fatendum nihilominus est, sub uno, eodemque Textu, ac sub una littera plures, imo omnes quatuor Sensus quandoque reperiri. Ita in hac sola voce *Jerusalem*, omnes quatuor Sensus esse, docuit Beda (L. de Top: S. Script.) Siquidem litteraliter significat *Civitatem Judeae*; tropologice *animam fidelem*; Allegorice *Ecclesiam militantem*, et Anagocice, *Ecclesiam triumphantem.*

Quæres. *Præter usque modo laudatos, datur ne alius Scripturæ Sensus?*

§. 224. R. Affirmative: Nam datur Sensus Accomodatitius; *ille* nempe, quo ea quae litterali, aut mystico Sensu, alia occasione dicuntur in Scriptura, per quamdam extensionem, ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur, veluti cum cuilibet Confessori Pontifici aptat Ecclesia, quod de Abraham legitur

(Eccl: 44.): *Non est inventus similis illi etc.* Hic sensus est frequens apud Sanctos Patres, et semper fere a Sacris Concionatoribus adhibetur, attamen auctoritatem divinam non habet; nec propterea potest ex eo desumi argumentum ad Fidei, et morum dogmata probanda, quippe qui nec immediate, nec mediate a Spiritu Sancto sit intentus. Quinimmo Theologorum doctrina est, nonnisi ex solo Sensu litterali Sacræ Scripturæ posse Theologiam sua certa dogmata, et argumenta deducere, non autem a Sensu mystico, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ, et Traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipsa Textus sacri serie certo colligatur, sicuti observat ex-Charmes (*a*). Siquidem, ut optime ait D. Hieronymus (In Cap. III. Mat.): *Numquam parabolæ, et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.*

Quæres. *Ad quem spectet tradere verum, atque germanum Sacræ Scripturæ Sensum?*

§. 225. R. (§. 204.) Hæretici qui volunt Scripturam esse claram, contendunt quoque vel eam sui ipsius interpretem esse, vel privatum cujusque Spiritum, seu inspirationem esse judicem Sensus illius: Ita Lutherus, Calvinus, Kemnitius, et Anabaptistæ. At e contra Catholici omnes tuentur, ad solam Catholicam Romanam Ecclesiam spectare verum, atque germanum Scripturae Sensum tradere.

§. 226. Et quod id ipsa Scriptura non possit, nemini dubium est (si Hæreticos excipias), eam in multis locis esse obscurissimam (§. 206.), quomodo ergo ipsa tradere nobis potest suimmet ipsius verum Sensum? Si ob ejus obscuritatem frequenter oriuntur quæstiones de ejus recta intelligentia, alius certe extra eam sit oportet, qui illas dirimat.

(a) *Tom. I. q. 8. art. 2.*

§. 227. Quod vero Spectat ad spiritum privatum, impossibile prorsus est, ipsum esse judicem de vero, atque germano S. Scripturae sensu. Nam vel iste privatus Spiritus est Spiritus Sanctus, vel spiritus cujusque proprius. Primus non est. Nam contradictoria, et sibi invicem pugnantia, quæ Hæretici tamquam oracula ex Scripturis deprompta profitentur, a Spiritu Sancto, qui est Spiritus omnis veritatis, procedere non possunt. Secundus, non est; quippe a Spiritu Sancto monemur, auditum ei prohibere, quia spiritus mendacii est; Ait siquidem (Ier. XXIII.): *Nolite audire Prophetas, qui loquuntur de corde suo*; Nam (II. Petri c. 1. v. 30.): *Omnis prophetia Scripturæ divinitus inspirata propria interpretatione non fit.*

§. 228. *Coroll.* Restat ergo ad solam Sanctam Ecclesiam Catholicam spectare, verum, ac germanum Sacræ Scripturæ Sensum tradere; Atque ita definitum est in Concilio Tridentino (Sess: IV.) Unde Augustinus ad hujus veritatis confirmationem: *Tunc* inquit (contra Cresco: c. 33.), *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas* (1). Sed de hac re fusius in Tractatu de Christi Ecclesia.

---

(1) *Legantur* Melch: *Can. De locis: Theol*: Iuvenin *Tomo I. diss. IV. art. 5.* Antoine *Theol. Dogm. Tom. I. Sect. IV. cap. 3. art. 9. Pro toto autem Tractatu, praeter tciat. Auct.*, Claudii Frassen *Disquisit. Biblicæ.*

TRACTATUS II.

De Traditionibus, sive de Verbo Dei tradito.

§. 229. Revelatæ a Deo doctrinæ, sive Verbo Dei scripto, proxime succedit Divina Traditio, velut altera Fidei nostræ infallibilis regula; ut nempe quod ex Scripturis credendum erui non potest, Traditione inconcussum habeatur. Cum ergo in Ecclesia Catholica multa sint Dogmata, nonnisi Divina Traditione firmata; cumque Hæretici permulti adversus has Traditiones decertent acerrime, in hoc Tractatu tribus Capitibus, Traditionis naturam, existentiam, regulas, atque ex ipsa accepta Dogmata, dilucide expendemus.

CAPUT I.

De natura, et existentia Traditionis.

§. 230. *Def.* Traditio late sumpta est omnis doctrina ab uno alteri communicata sive scripto, sive voce; stricte autem: *est doctrina ad Religionem spectans, non scripto, sed sola voce tradita ab ejus auctore; quæque propterea in nullo Libro Canonico reperitur.*

§. 231. *Schol.* Porro multiplicis generis sunt Traditiones: Divinæ nempe, atque humanæ. Traditiones Divinæ sunt illæ, quæ vel a Deo, vel a Jesu Christo habent originem; humanæ vero, quæ ab hominibus. Deinde aliæ sunt Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Apostolicæ sunt illæ, quae ab Apostolis ad nos usque continuata serie pervenerunt; Atque hæ quidem aliæ dici possunt Divinæ-Apostolicæ, quia Deum recognoscunt auctorem, sed eas Ecclesia per Apostolos accepit; Aliæ Apostolicæ-humanæ, et sunt illæ, quæ Apostolos auctores immediate cognoscunt (1). Traditiones Eccle-

(1) Antoinè *Tom. I. Theol. Univ. Pag. 64 n. III.*

siasticæ sunt illæ, quæ post Apostolorum tempora, ab Ecclesiæ Proceribus, accedente fidelium consuetudine, introductæ fuerunt, et adhuc perseverant. Sunt et aliæ Traditionum divisiones, sed quia ad rem non faciunt, omittuntur.

§. 232. *Coroll.* Ex his facile erit percipere, quænam Traditiones fidem indubiam faciant, et a quibus Theologia suas de Fide elicere possit Conclusiones; Traditiones nempe Divinæ, vel Apostolicæ-Divinæ. Cum namque istae Deum immediate cognoscant auctorem, profecto infallibilis sunt auctoritatis. Quare de his solum erit sermo. Atque super his tamen summa est

Hæreticorum a Catholicis discrepatia.

§. 233. Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Socinus, Arianos, Macedonianos, Entychianos, Pelagianos, et Donatistas sequuti, nullam Divinam Traditionem admittunt, quippe qui solam Sacram Scripturam regulam nostræ Fidei esse tuentur. Catholici autem, e contra, Traditiones divinas admittunt, easque tamquam alteram Fidei regulam, recognoscunt ex Tridentina Synodo, quæ (Sess. IV.) ait: » Perspiciens » (Synodus) hanc veritatem, et disciplinam contineri in Libris scriptis, et sine scripto Traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae » aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi » per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes Libros » tam Veteris, quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor; nec non Traditiones » ipsas tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes, » tamquam vel oretenus a Christo, vel a Spirtu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit, et veneratur ».

§. 234. *Coroll.* Controversia ergo inter nos, et Novatores haec est; quod nos praeter Sacram Scripturam, admittimus Divinas Traditiones, ut infallibilis auctoritatis ad conclusiones Fidei, et morum adstruendas, Novatores vero nullas recognoscunt.

PROPOSITIO I.

Divinas Traditiones in statu Legis naturae, extasse, nulli dubium est.

§. 235. *Prob.* Cum namque homini ad suum assequendum ultimum finem necessaria sit Doctrina revelata (§. 4.); cumque haec in statu Legis naturae nullibi scripta legatur, consequens est, quod fuerit tradita; adeoque etc. Apposite S. Cyprianus (apud Bannes hic), scripsit: » Iustitia tempore fuit Abel, et Henoch, quibus non erat Lex scripta, sed naturalis » tantum intelligentia, et Tradicto per successionem » ex patribus ad filios. » Quod autem de primis illis Patriarchis usque ad Abraham dicitur, de aliis quoque usque ad Moysen, et Legem scriptam dici debet. Abraham enim signum Circumcisionis, quod a Deo pro se, et suis posteris accepit, per Traditionem sine Scriptura transmisit.

PROPOSITIO II.

In statu Legis Scriptæ fuerunt Divinæ Traditiones.

§. 236. *Prob.* In Lege scripta, praeter Sacram Scripturam, jubebantur Judaei, Patres quoque suos interrogare, ut circa Fidem, et mores instruerentur. *Non prætereat*, ait Ecclesiasticus (Eccl: VIII. v. 1.), *narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis;* et Regius Psaltes (Psal: 77.) ait, se lo-

qui: *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt ea filiis suis ut ponant in Deo spem suam.* Revera multa Judaei ex sola Traditione habebant; veluti divinitatem Librorum in Canone adscriptorum, remedium ad expiandum originale peccatum, non solum in masculis, sed etiam in foemallis ante diem octavum decedentibus, etc.:

PROPOSITIO III.

Divinae Traditiones extiterunt in ipsa Lege Evangelica in primordio suae promulgationis.

§. 237. *Prob:* Nam per plures annos a morte Christi nulla extitit Scriptura Canonica; adeoque fideles tunc sola Traditione utebantur, quam ab Apostolis audierant; et non alia, quam Traditio erat eis regula infallibilis Fidei, et morum. Ergo etc.

§. 238. *Coroll.* Quod ergo Catholicos inter, atque Haereticos controvertitur est: an posita Scriptura Novi Testamenti, debeant quoque recognosci atque admitti Traditiones Divinae, quae sint ejusdem auctoritatis ac Scriptura.

PROPOSITIO IV.

Praeter Sacram Scripturam, in Evangelica Lege, admittendae sunt divinae Traditiones, tamquam altera Fidei nostrae Regula.

§. 239. Probatur 1. pars ex Scripturis. Apostolus ad Corinthios scribens, gratulatur eis, quod Traditiones, et praecepta, quae ab ipso acceperant, summo studio memoria tenerent, et opere complerent; ait siquidem (II. Cor. XI.) *Laudo vos fratres, quod*

per omnia mei memores estis, et sicuti tradidi vobis, præcepta mea tenetis; Et ad Thessalonicenses scribens (Ep: II. C. II.), ait: *Itaque fratres state, et tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* « Hinc patet, » verbis utor D. Chrysostomi (Ho. IV. in Ep: ad » Thess.), quod non omnia per epistolam tradiderunt » Apostoli, sed multa etiam sine litteris. » Tandem idem Apostolus ad Timotheum scribens (Epist. II. C. 1. v. 13.), inquit: *Formam habe sanovum verborum, quae a me audisti; in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi.* Et ibidem (C. III. v. 14.): *Permane in iis, quae didicisti, et credita sunt Tibi, sciens a quo didiceris;* Ergo « non modo per Litteras, concludit laudatus » Chrysostomus, sed etiam verbis Discipulo, quae » essent agenda, dictavit »; adeoque etc.

§. 240. *Prob.* eadem pars Conciliorum auctoritate. In VI. Synodo Generali Act: 10. et 18., præsertim in Epist· Agathonis Papae ad Imperatorem et filias ejus, quae Act: IV. lecta est, habetur: *Ut autem, quid Apostolicae nostrae fidei vigor contineat breviter intimemus, quam percepimus, Apostolicorumque Pontificum Traditionem etc.* In II. Nicaena Synodo in definitione fidei, ita loquuntur Patres: *Fatemur unanimiter, nos Ecclesiasticas Traditiones retinere velle.* Nihil addo ex Synodo Ephesina, in qua haec una fuit vox Patrum contra Nestorium: *Quod antiquitus traditum teneatur.* Igitur etc.

§. 241. *Prob.* Eadem pars Sanctorum Patrum testimoniis: S. Dionysius (Lib. 1. de Ecc. Hier.) ait: » Apostoli summa illa, et supersubstantialia partim » scriptis, partim non scriptis, institutionibus suis » tradiderunt. » S. Epiphanius non aliter dicit: « O- » portet autem (haec sunt ejus verba, haeresi 6.) » et Traditione uti; non enim omnia a divina Scri- » ptura possunt accipi: quapropter aliqua in Tradi-

» tione Sancti Apostoli tradiderunt. » Quid clarius? sed non absimiliter ceteri Ecclesiae Patres loquuntur; adeoque etc.

§. 242. Prob. 2. pars. Traditiones divinae sunt a Deo immediate concessae, sunt nempe Verbum Dei non scriptum (§. 230.); sed Verbum Dei infallibilem auctoritatem habet; non enim Verbum Dei est infallibile quia scriptum, sed quia Verbum Dei, qui fallere, et falli nequit (§. 55.), et potius Coelum, et terra transibunt, quam verba ejus praeteribunt (Matt. XXIV. 35.); Ergo Divinae Traditiones sunt altera Fidei nostrae Regula.

§. 243. Idipsum confirmant Patres. Pro omnibus audiantur S. Basilius, et S. Joannes Chrysostomus. Hic namque postquam ex verbis D. Pauli supra (§. 187.) relatis conclusit, Apostolos non omnia per Epistolam tradidisse, *sed multa etiam sine litteris*, subjungit: « Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista » Ille vero (De Sp: S. Cap: 27.) ita scribit; « Dogmata quae in Ecclesia servantur et praedicantur, » partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in » mysterio recepimus. Quæ utraque eamdem ad pietatem [illegible] habet, et nemo his contradicit; » Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 244. *Obj.* Traditio est Verbum Sacrae Scripturae adjunctum; atqui divino praecepto tenemur, nihil addere Verbo Dei scripto, juxta illud Deuteronomii (Cap: IV. v. 2.): *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*; Ergo praeter etc. admittenda non est Traditio.

§. 245. R. dist. maj. Traditio etc. est Verbum divinum Sacrae Scripturae adjunctum, conc. maj., est verbum, propria voluntate, ac ingenio Sacrae Scripturae etc. n. maj.; et dist. min. Atqui divino etc., quod sit propriae mentis inventum, et contrarium

Verbo Dei scripto, concedo; quod sit ipsum Verbum Dei, n. min. cum consa. Laudatum testimonium nihil adversus Traditiones concludit. Cum namque Traditio sit Verbum Divinum non secus ac Scriptura, nihil sane Catholici Verbo Dei addunt, eam admittendo. Ceterum dicere possumus, testimonium illud probare potius, quam labefactare nostram Thesim. Nam de verbo tradito, non scripto dicitur, quod nulla ei fieri debeat additio; Legitur siquidem: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, non quod vobis scribo.

§. 246. *Contra.* Atqui nulla prorsus additio verbo Dei scripto fieri potest; ergo n. r. Prob. min. subsa Res ita se habet, si omnia, quae ad Fidem, et mores, adeoque ad aeternam felicitatem consequendam sufficiunt, in Scripturis continentur; Atqui revera ad id sufficiunt, quae in Scripturis continentur, dicente Joanne (Cap. XXI. v. 25.). *Multa Dominum Christum dixisse et fecisse, quae scripta non sunt; electa autem sunt*, ait Augustinus (Tract: 49. in Ioan.), *quae scriberentur, quae saluti credentium sufficere videbantur*; ergo etc.

§. 247. R. dist. min. Atqui etc., et ibi loquitur Joannes de signis tantum, atque prodigiis a Jesu Christo patratis, concedo; de omnibus, quae ad Fidem, et mores pertinebant, nego min., et consm. Opus certe non erat Joanni plura scribere de signis, quae fecerat Jesus Christus coram discipulis, ut homines inducerentur ad agnoscendum eum verum Deum hominem; fecerat enim tam magna, et tanta, ut fidem ei denegare, portentum obstinatae voluntatis fuisset. Et de his loquitur, ut patet ex textu, ubi legitur: *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus . . . quæ non sunt scripta in libro hoc*; non autem quod omnia scripsisset, quae ad Fidem, et mores pertinent, ita sufficientia ad salutem consequendam, ut nihil amplius scribere opus fuisset.

§. 248. *Contra.* Atqui sola Scriptura, sine ulla Traditione sufficit ad ea quae Fidei, et morum sunt hominibus manifestanda; ergo n. r. Prob. Apostolus ad Timothenm scribens (II. ad Tim: III. v. 16.) ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum; ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo sola Scriptura, etc.

§. 249. R. Laudato testimonio non respuit Paulus divinas Traditiones, sed potius adprobat. Si namque omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est, cum Scriptura, ipsomet docente, Traditiones tenere jubeat (II. ad Thess. Cap: II.), Traditiones utique tenendae sunt. Deinde sedulo distinguendum est inter utile, et sufficiens. Est quippe utile infirmo abstinentia ab aliquibus cibis, at non sufficiens, ut convalescat; utilis est Fides, immo necessaria ad justificationem, attamen sola sine operibus insufficiens est; immo mortua. Ita, ex Apostolo, omnis Scriptura est utilis, sed non sufficiens. Etenim si sufficiens, nedum Traditio, sed multi alii Libri Canonici, puta Evangelium S. Joannis, Apocalypsin, ejusque Epistolae, quae quando talia scripsit Paulus ad Timotheum, non extabant, rejici debuissent, veluti inutiles; quod nemo unquam dixerit.

§. 250. *Olji.* II. Apostolus ad Galatas (Cap: 1.) scribens, inquit: *Licet nos aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit;* Ergo non sunt admittendæ Traditiones etc.

§. 251. R. Laudato in loco Apostolus non anathematizat eos qui, praeter sacram Scripturam, Divinas Traditiones admittunt, sed quoscumque ausi fuerint aliquid docere, quod esset contrarium Doctrinae a se Galatis praedicatae. Nam Traditiones divinae, de quibus nos loquimur, non sunt Verbum praeter Divinam

Scripturam, vel a Divina Scriptura alienum, sed Verbum Divinum idem ac Sacra Scriptura, et hoc solum ab illa diversum, quod Sacra Scriptura est Verbum Dei (§. 202.) scriptum; Traditio autem Verbum Dei, sola voce traditum (§. 230.).

§. 252. *Contra*. Atqui Apostolus anathematizat eos, qui quocumque modo aliquid evangelizant, praeter quod ab ipso evangelizatum fuerat Galatis; Ergo n. r. Prob: subsm. Apostoli, ut testatur S. Irenaeus (Lib: III. C. I.): *quod tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, et columnam fidei nostrae futurum* Si quod ergo, ipsorum tempore, erat Verbum traditum, transiit in Verbum scriptum, adeoque cessarunt Traditiones; et consequenter Apostolus etc.

§. 253. R. S. Irenæus laudatis verbis non intelligit excludere Traditiones, et adserere, Apostolos omnia prorsus scripsisse quae voce primitus docuerant; sed hoc solum, quod Apostoli scripserint Evangelium, quod praeconiaverunt. Et sane quod non excludat ipse Traditiones, patet ex eodem Libro supracitato, sed Capite III., ubi de successione Pontificum loquens, ait: « Hac ordinatione ac successione, ea » quæ est ab Apostolis Traditio, et veritatis praeco- » natio pervenit usque ad nos. » Quod vero nec etiam asserere intelligat Apostolos omnia scripsisse, quae voce praeconaverunt; patet. Nam ignorare ipse non poterat, Ioannem Apostolum in fine sui Evangelii dicere, se non omnia in eo libro scripsisse; ignorare non omnes Apostolos scripto tradidisse, quod primitus voce docuerunt. Frustra itaque S. Irenaei testimonio utuntur adversarii, ut nostram infirment thesim.

§. 254. *Contra*. Atqui nihil omnino, praeter Sacram Scripturam, ut Divinum, et Fidei regula admitti debet; Ergo redit argumentum. *Prob.* subm. Theophilus (lib: II. Paschali), ait. « Di-

» bolici est Spiritus aliquid extra Scripturarum divi- » narum auctoritatem putare Divinum. » Ergo nihil etc:

§. 255. R. adm: auct:, n. consm. Cum Theophili tempore multi circumferrentur Libri Apocryphi, qui ut divinitus inspirati a multis supponebantur, contra illos ipse invehitur, ostendens, omnino esse rejiciendos, atque diabolici esse spiritus, illos putare divinos. Loquitur ergo non de Traditionibus, quas ipse, ut alii Patres sui temporis, admittebat; sed de Scripturis falsis, et Apocryphis extra Divinam Scripturam; et de erroribus Origenis, contra quem præsertim laudato in loco rem habet, dicens, quod « in » fabulas quasdam, et deliramenta procedens, Chri- » stianum Dogma jocum, et ludum faceret, nequaquam » quam Divinae Doctrinae auctoritate utens, sed hu- » manae mentis arbitrio .... ignorans, quod *Demoniaci Spiritus esset instinctus*, sophismata humanarum » mentium sequi, et *aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare Divinum* ». Igitur etc.

§. 256. *Schol.* Praeter illa quae usquemodo exsufflata sunt Haereticorum argumenta adversus Divinas, atque Apostolicas Traditiones, alia non pauca ipsi opponere non cessant, tam ex Scripturis, quam ex Patribus emendicata. Et quoniam nos ad nostram thesim firmandam, testimoniis praesertim Basilii, atque Chrysostomi usi fuimus (§.   ), eorundem testimonia nobis objicere gaudent. Et revera Basilius (Cap: de vera, et pia fide ait.) « Superbiae signum esse, » aliquid eorum, quae non sunt scripta, introducere. Chrysostomus vero (Hom: 49. in Matt:) inquit: » Neque refugium potest esse Christianorum aliud, » volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scriptu- » rae Divinae ». Verum his, aliisque testimoniis nihil nos commovent, cum praedictorum Patrum jam mentem expressam habeamus in Traditionis materia. Quod si taliter loquutus fuit Basilius, mirandum non

est, loquebatur enim ipse de illis, quae neque scripta divinitus erant, neque a Patribus frequentata, sed privata auctoritate ab Haereticis contra Ecclesiam introducta; id quod clare patet, ex quo ibidem ipse testetur, se Haereticis non restitisse in iis « quae » licet in Sacrosancta Scriptura non reperiuntur, a » pio tamen et Sanctis Litteris consentaneo sensu » neutiquam abhorrerent ». Chrysostomus vero ita loquitur (si tamen ejus foetus sit Opus imperfectum in Mathaeum) ut ostendat, agendo cum Haereticis, qui Traditiones non admittunt, temporibus presertim Antichristi, ut Ecclesia Christi cognoscatur, ad Scripturas confugiendum esse, quod et S. Augustinus ipse probe noverat, et confessus erat, non vero ut omnis omnino Fidei veritas ex Scripturis solis, exclusis Traditionibus possit percipi; quemadmodum ex toto contextu Sermonis clarissime patet.

CAPUT II.

De certis Regulis, quibus Divina Traditio ab humana secernitur.

§. 257. Cum Haeretici inter alia quæ afferunt, ut omnem Traditionem e medio tollant, illud vel præcipuum sit, quod non valeamus distinguere veras a falsis Traditionibus, Divinas ab humanis, opere pretium erit, quasdam hic adsignare certas Regulas, queis Divinae ab humanis Traditionibus secerni possint. Unde sit.

PROPOSITIO.

Dantur certae Regulae, quibus Divina Traditio ab humana Traditione secernitur.

§. 258. Prob. Multæ a Theologis adsignantur Regulæ, quibus Traditiones Divinae ab humanis discernuntur. Placet cum Bellarmino quinque adnotare.

I. Itaque Regula est: *Quando Ecclesia universa tenet aliquid de fide, quod in sacra Scriptura non invenitur, Traditio est Divina;* Nam cum Ecclesia Universa nequeat errare, est quippe *columna, et firmamentum veritatis* (1. ad. Tim: c. III.), nequit aliquid de Fide certum universaliter tenere, quod a Deo revelatum non est.

II. Regula est: *Quod a solo Deo institui potest, et ab universa Ecclesia observatur, nec tamen in Canonicis Scripturis reperitur, est Traditionis Divinæ.* Cum namque Ecclesia Catholica non minus in iis, quae ad Fidem, quam quæ ad cultum Dei pertinent, errare non possit, si in ipsa aliquid semper observatum conspicimus, quod non ab alio, quam a Deo institui poterat, illud ex Traditione Divina habuisse fatendum est.

III. Regula est: *Quod semper et constanter obrervatum est in Ecclesia, ita ut non possit adsignari ejus origo, neque institutionis initium, id proculdubio est ex Traditione Divina.* Impossibile namque est ut aliquid sit ex humana Traditione, et semper, et costanter sit ab Ecclesia toto Terrarum orbe diffusa observatum; *Ecquid namque*, ait Tertullianus (Lib: de Præsc.) *verisimile est, ut tot ac tantae in unum fidem erraverint?* Quinimmo, inquit Vincentius Lirinensis (Comm. Cap. II.): *In ipsa Catholica Ecclesia maopere curand ,um est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper quod ab omnibus creditum est.*

IV. Regula est: *Quod omnes Ecclesiae Docto-*

res, vel scorsim scribentes, vel in Concilio Generali congregati asserunt unanimiter esse ex Traditione Divina, tale est.

V. Regula tandem est.: *Quod in Ecclesiis, in quibus probatur integra, et continuata successio ab Apostolis per Episcopos Orthodoxos, semper habitum est ab Apostolis traditum esse, ita est.* Nam sufficienter costat, in illis Ecclesiis Apostolicas Traditiones puras, atque integras conservari (1).

CAPUT III.

De Jejunio Quadragesimali, sive antepaschali; et an ex Apostolica ordinatione institutum, atque præceptum esse, ex Traditione invicte demonstretur.

§. 259. *Def.* Jejunium Qradragesimale nihil aliud est, communi omnium sententia, quam religiosa quædam abstinentia in Ecclesia, ab immemorabili tempore, ab Apostolorum nempe ætate recepta, et non interrupta temporum successione ad nos usque producta, et rite observata per dies quadraginta, adjuctum habens ciborum delectum, et alia virtutum, et poenitentiæ opera insinuans.

§. 260. *Schol.* Hoc Quadragesimale jejunium, etsi omni ævo a fidelibus fuerit diligentissime observatum, neque in Evangelio tamen, neque in aliis scriptis Apostolorum invenitur aut institutum, aut præceptum, quod et jam Augustinus animadverterat (Epist: 36.), unde et scripsit: *Quibus diebus non oporteat jejunare; et quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum.* Quare Heterodoxi, qui Divinas Traditiones rejiciunt, illud veluti superstitiosum inventum rident; necnon mirantur,

---

(1) *Vide* Antoinè *Tomo I Tract. I. art. 2.* Berti *aliosq. ut supra.*

tam crassam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuisse, ut crederent, jejunio obsequium præstare Deo. Ita Calvinus (IV. Inst. c. XXII.), et Lutherus cum suis sectatoribus. Sed immerito (1).

PROPOSITIO

Jejunium Quadragesimale ex Apostolica ordinatione institutum, atque præceptum esse, ex Traditione invicte demonstratur.

§. 261. Probatur. Quod universa tenet Ecclesia, ait S. Augustinus (Lib. IV. de Bap: c. Don. c. 24.) nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur; Atqui Quadragesimalis jejunii istitutio neque in Scripturis, neque in Conciliis primum facta legitur; Ergo illius origo ab Apostolis repetenda est. Et sane primum Generale Concilium quod Ecclesia celebravit, fuit Nicænum I. An. D. 327. Jam vero tunc vigebat jejunium Quadragesimale, quippe de eo fit mentio Canone V. his verbis: *Concilia vero celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschae* etc. Ergo tale jejunium non fuit in aliquo Concilio institutum. Deinde Origenes, viris Apostolicis proximus (Tom: X. in Lev:) hujus jejunii existentiam sua ætate, expressis verbis docet; *Habemus, inquiens Quadragesimae dies jejunio consecratos.* Idipsum alii Patres passim adfirmant. Cum ergo jejunium Quadragesimale antiquissimum sit in Ecclesia, nec tamen ab aliquo Concilio institutum inveniatur, imo sit omni Concilio anterius, remanet quod ec.

Quaeres. *Quaenam ex Divina Traditione accepta* Dogmata sint.

---

(1) *Vide* Concina *Theolog. Christ. T. V. Dissert. 1. de Jejunio Cap. V.* Honorati Tournely Continuat. *Tom. III. de II. Eccl. praec. Cap. II.*

§. 262. R. Multa ex Traditione Divina hauriuntur Dogmata sive ad Fidem, sive ad mores spectantia. Principaliora quæ ad Fidem spectant sunt, intemerata semper Virginitas Matris Dei Mariæ; numerus septenarius Sacramentorum, et quæ ad materiam, et formam Sacramentorum spectant; Baptismi validitas vel pueris, vel ab Hæreticis collati; descensus Christi ad Inferos; Spiritus Sancti processio a Patre filioque; quod sint quatuor Evangelia, quae verbum Dei continent; quod tales Epistolae Pauli sint verum Dei verbum; quod omnes Libri, Canone nostro comprehensi cum omnibus suis partibus et versiculis sint Divini. Inter alia vero quae pertinent ad mores, numerari possunt 1. illa De benedictione aquæ; 2. De orando facie versa ad Orientem; 3. De trina mersione in baptizando; 4. De miscenda aqua in Calice; 5. De formando signo Crucis in fronte; 6. De sumenda Eucharistia a jejuniis. 7. De abstinendo a servilibus diebus festis etc: Atque haec satis de Traditione (1).

TRACTATUS III.

De vera Christi Ecclesia.

§. 263. Bene habet adversus Heterodoxos Divinæ Traditionis existentiam, atque necessitatem statuisse; at quo tandem Fidei Catholicæ bono, si nulla alia regula sit, quae controversias, pro temporum opportunitate dirimat? Scriptura in se clara in omnibus non est (§. 206.), nec sola ad omnes Fidei controversias finiendas est sufficiens regula. Traditio Divina est quidem altera Fidei nostræ regula, ubi deest Scriptura, at de se sola non dignoscitur, Divina sit ne, an

(1) Vid. Becani Manuale controv: Lib: I. Cap. II. §. 11. et seq:

humana; unde et regulis indiget, ut divina, et ideo infallibilis admittatur (§. 159.); alia igitur regula infallibili opus est, et quidem quae sit viva, ut Catholica Religio constabilita maneat usque ad consumationem sæculi. Et quidem Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, hanc regulam vivam, infallibilem, columnam, et veritatis firmamentum dedit; et hæc est Ecclesia; De qua in praesenti Tractatu agentes, ejus naturam, characteres, proprietates, et membra explanabimus.

CAPUT I.

De nomine, ac vera definitione Ecclesiæ.

§. 264. *Def.* Ecclesia secundum nomen, quod a græco derivatum, significat *evocationem*, vel *convocationem*, aut etiam *congregationem*, nihil aliud est, quam: *Multitudo hominum in unum consentientium.*

§. 365. *Animad*: Quoniam vero et ad bonum, et ad malum, finem hominum convocatio fieri solet, hinc Ecclesia in bonam, et malam partem accipi potest; in bonam, ut cum dicitur (Psal: 49.): *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*; vel: *Exaltent eum in Ecclesia plebis*: in malam vero, cum dicitur (Psal. 26.): *Odivi Ecclesiam malignantium.*

§. 266. *Schol.* 1. Ecclesia tamen prout hic generaliter a Patribus, et Theologis accipitur, fidelium Christianorum collectionem denotat; et primo duplex est: *materialis*, et *formalis.* Ecclesia materialis proprie est locus, in quo fideles Catholici conveniunt, religionis causa, et de hac loquitur Apostolus (Cor. C. II.) cum dicit: *convenientibus vobis in Ecclesiam*: quare Templa, et alia loca, ubi fideles ad orandum, et alia Religionis officia obeunda conveniunt, Ecclesiae vocantur. Ecclesia *formalis* est cœtus ipse fidelium, abstrahendo a locis, in quibus hujusmodi societas re-

peritur; hoc sensu (Act: XII. 6.) dicitur, quod *Oratio fiebat. sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*, scilicet S. Petro.

§. 267. *Schol*: II. Porro Ecclesia formalis, dupliciter sumi potest, *late* nempe, et *strictae*. Late sumpta, triplicem Ecclesiam complectitur, Triumphantem in Caelis; *Cœtum* nempe Beatorum cum Christo in Caelo regnantium; Purgantem, cœtum nempe animarum, quæ in Purgatorio detinentur; Militantem, cœtum nempe fidelium in terris, cum mundo, Dæmone, ac carne pugnantium, sive hi fuerit ante Christi adventum, sive post. Ecclesia vero stricte sumpta, hic, est *Societas fidelium Christianorum*. Atque hæc insuper sumi solet tripliciter; aut nempe pro Pastoribus Ecclesiæ, quo sensu dixit Christus (Matt. XVIII. 17.): *Dic Ecclesiæ*; vel pro Ecclesia peculiari, alicujus domus, vel familiæ, ut cum Paulus ad Romanos scribens (Cap: XVI. v. 5.): *Salutate* inquit *Priscam, et Aquilam ... et domesticam Ecclesiam eorum*; vel pro Ecclesia alicujus Civitatis, Provinciæ, vel Regni, veluti cum idem Apostolus dicit: *Ecclesia quæ est Corinthi*; vel tandem pro Ecclesia universali, et per totum Orbem diffusa, quæ omnes fideles complectitur; et in hac sententia, loquens Dominus Petro, dixit illi (Matt. XVI. 46.): *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et de hac Ecclesia erit modo sermo noster; de Ecclesia vero Triumphante, et Purgante, quae alterius Mundi Ecclesiæ vocantur, postea.

§. 268. *Schol:* III. Ecclesia vero prout hic accipitur, considerari potest quoad animam, et quoad corpus: seu ut alii dicunt, secundum *esse formale*, et secundum *esse materiale*. Fides, Spes, Charitas, et Dona Spiritus Sancti sunt anima Ecclesiæ. Corpus vero Ecclesiæ in externa Fidei professione, et Sacramentorum communione consistit. Quicumque ergo prædicta Dona possidet, ad integram Ecclesiam pertinere

dicitur; ad solum vero corpus Ecclesiæ, qui externam Fidei professionem habet, et Sacramentorum communionem. Atque hæc est Catholicorum doctrina de veræ Ecclesiæ notione, atque distinctione cui oppositæ sunt aliæ

Variæ Hereticorum de Ecclesia notiones

§. 269. Hæretici cum Catholicis non conveniunt circa veram Ecclesiæ notionem, et essentiam. Pelagiani enim, teste S. Augustino (Lib. de Hæres: Cap: 188.) dicebant Ecclesiam esse Congregationem heminum nullam culpam habentium. Novatiani pariter adfirmabant, Ecclesiam esse Cœtum hominum eo saltem sensu justorum, quod numquam in grave crimen contra Fidei confessionem lapsi fuerant; Sed admodum incertum est, quo sensu ipsi loqunti fuerint. Idipsum ferme commenti sunt Donatistæ. Wiclefus vero, cui adhæsit Joannes Hus, censuit, Ecclesiam esse Cœtum prædestinatorum. Lutherani autem qui Confessioni Augustanae subscripserunt, volunt Ecclesiam nihil aliud esse, quam Congregationem sanctorum, qui vere credunt, et obediunt Christo. Idipsum tenuerunt Anabaptistæ. Quibus omnibus assentiuntur Calvinistæ. At quoniam, Calvini sententia, ii vere sunt justi, qui ad æternam vitam sunt præordinati, ideo Ecclesia, per ipsos, ex solis prædestinatis coalescit. Verum contra hos, aliosque, si qui sunt talia effutientes, stant omnes Catholici, qui Ecclesiam definiunt prout sequitur:

§. 270. « Ecclesia est cœtus hominum viatorum » ejusdem Fidei Christianæ professione, et eorumdem » Sacramentorum communione colligatus sub legitimorum Pastorum regimine, ac praecipue sub regimine unius Christi in terris Vicarii Romani » Pontificis » (1). Quae definitio quam sit adcurata

(1) Bellarm. *Tom. II. Lib. III. cap. 2.*

(quidquid contra blateret Launojus), ex dicendis, luculentissime apparebit.

CAPUT II.

De veræ Ecclesiæ notis.

§. 271. *Def. Notae veræ Ecclesiae nihil aliud sunt, quam signa quædam, vel characteres, queis vera Christi Ecclesia cognoscitur, et ab aliis societatibus Anti-catholicis, quæ potius Ecclesiæ malignantium, vel Sinagogae Daemonum dici possunt, distinguitur.*

§. 272. *Animad*: Ut autem hæc signa, vel characteres notae esse possint verae Ecclesiae, tres conditiones habere debent; 1. quod sint ipsa Ecclesia notiores; 2. quod sint propriae; nempe aliis non conveniant; 3. quod sint sensibiles, cuilibet obviae, et cognitu faciles; ut sic omnes ad Ecclesiam, et veram Fidem adduci possint.

§. 273. *Schol*: Etiam Haeretici nobiscum conveniunt, aliquas esse debere verae Ecclesiae notas, verumtamen sicuti errant in vera Ecclesiae natura dignoscenda, ita errant in notis adsignandis, quae verae Ecclesiae propriae sunt. Quare super his non una est

Hæreticorum, et Catholicorum sententia.

§. 274. Brentius, Mellacthon, Calvinus, et Centuriatores, duas tantum verae Ecclesiæ notas adsignant; « sinceram nempe verbi Dei praedicationem, seu veram Fidei doctrinam, et legitimum Sacramentorum usum ». Lutherus usque ad septem Ecclesiae notas extendit, inter quas, duas modo indicatas comprehendit. Catholici quoque non conveniunt inter se in notis his adsignandis. S. Hieronymus duas tantum (Dial: con. Lucif.) tradit; *continuam* nempe *Ecclesiae ab Apo-*

stolis ad nos usque durationem, *et ipsam Christiani nominis appellationem*. Symbolum Apostolorum, duas item recenset, nempe, quod sit *Sancta*, et *Catholica*. Vincentius Lirinensis (Comm: C. III.), tres enumerat, *Universitatem* scilicet, *Catholicitatem*, et *Apostolicitatem*. Symbolum Costantinopolitanum quatuor statuit, *Unitatem*, *Sanctitatem*, *Catholicitatem*, et *Apostolicitatem*, S. Augustinus sex recognovit (Lib. c. Epis: Fund: Cap. IV.); et alii tandem vel plures, vel pauciores; unde et apud Bellarminum usque ad quindecim excrevisse legimus (L. IV. de Eccl: Cap: III.)

PROPOSITIO I.

Neque verbi Dei sincera prædicatio, *neque Sacramentorum legitima administratio sunt verae Ecclesiae notae*.

§. 275. Probatur. Ecclesiae notae tales esse debent, ut nulla alia nota indigeant, qua cognoscantur, per ipsas vero Ecclesia cognoscatur, et a quacumque alia Societate, quae vera Ecclesia non sit, distinguatur (§. 272.); Atqui hujusmodi non sunt Verbi Dei sincera praedicatio, et Sacramentorum legitima administratio; Ergo etc. Prob. min.: Et primo quidem, ut Verbi Dei sincera praedicatio esset nota Ecclesiae, deberet esse notior, et manifestior ipsa Ecclesia; Cumque ad sinceram Verbi Dei praedicationem, duo prae ceteris necessaria sint; 1. ut nempe Verbum sit tale, et, 2. ut qui illud praedicat sit a Deo missus (Ait siquidem Apostolus Rom: X.): *Fides ex auditu*, *auditus autem per Verbum Christi . . . . Quomodo autem audient sine praedicante*, *quomodo vero prædicabunt nisi mittantur*?), volenti veram Ecclesiam cognoscere, haec duo ei notissima esse deberent; 1. nempe quod doctrina quae praedicatur sit

vere Verbum Dei; et 2. quod a Deo sit missus, qui illam praedicat. Atqui haec obscurissima sunt, et nonnisi per Ecclesiam determinantur; Ad Ecclesiam namque pertinet Scripturas Canonicas dignoscere; verum atque germanum Scripturae sensum tradere (§. 228.) Traditiones falsas a veris secernere (§. 259.), atque operarios mittere in vineam suam, qui nempe Verbum Dei praedicent; ergo cum praedicatio ab Ecclesia recipiat firmitatem, non ipsa hanc det Ecclesiae, hujus nota proculdubio esse nequit. Deinde legitimus Sacramentorum usus dari nequit, quin cohaereat Verbo Dei; cum ergo quale sit Verbum Dei, notum cuique non sit, nisi per Ecclesiam, nonnisi quoque per Ecclesiam innotescere poterit qualis sit legitimus Sacramentorum usus. Ecclesia itaque notior est et clarior usu legitimo Sacramentorum; et hic per illam potius ostenditur, quam illa per hunc: Igitur etc.

Haereticorum oppositiones solvuntur.

§. 276. *Objic.* 1. Ex D. Augustino (Cap: IV. Lib: 1. Epist. Fund.) « Si veritas tam manifesta » monstratur, ut in dubium venire non possit, prae» ponenda est omnibus illis rebus, quibus in Ec» clesia teneor »; Ergo doctrinae veritas est manifestissimum signum, seu character veram Ecclesiam dignoscendi.

§. 277. R. Dist: ans. Et laudato in loco loquitur S. Doctor absolute, n. antec; in hypothesi, conc: ans; Ergo etc: n. consm. Laudatis verbis, non vult S. Augustinus ostendere, veritatem doctrinae, esse absolute praeponendam omnibus aliis characteribus, seu notis, quibus vera Ecclesia dignosci possit, sed tantum facta hypothesi, quod Doctrinae veritas unicuique exhibeatur perspicue. Iam enim enumeraverat ipse ea quae ipsum in Ecclesiae sinu firmissime, et sequuse detinebant, dicens: « multa sunt, quae in ejus

» (scilicet Ecclesiae) gremio me justissime tenent. « Tenet consensio populorum atque gentium, tenet » auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede » Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet » postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine » causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia » sola obtinuit, ut cum omnes Haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, » ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Haereticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, et tanta Christiani nominis » charissima vincula recte hominem tenent credentem » in Catholica Ecclesia ». Loquens vero de iis quae in propria Ecclesia Haereticos tenebant, subjungit: « Apud vos autem, ubi nihil illorum est, quod me » invitet ac teneat, solà personat veritatis pollicitatio, quae quidem si tam manifesta monstratur, » ut in dubium venire non possit, praeponenda est » omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor. » Iam vero manifeste monstratur veritas doctrinae in » Ecclesia Haereticorum, an solum promittitur? Promititur utique, sed non exhibetur; recte ergo concludit ipsemet Augustinus: « Nemo me movebit ab ea » fide quae animum meum tot, et tantis nexibus » Christianae Religioni adstringit »: Adeoque etc.

§. 278. *Contra.* Atqui doctrinae veritas manifestius exhiberi potest atque exhibetur; Ergo praeponenda est omnibus aliis characteribus, quibus vera Ecclesia dignoscitur; Adeoque n. r. Prob: subsm. Vera doctrina ea est, quae in Scriptura Sacra continetur; Atqui Sacrae Scripturae doctrina manifestius elucet quam vera Ecclesia; Ergo etc: Prob: min: Vera Christi Ecclesia per Sacram Scripturam ostenditur: « Sunt certe ait laudatus Augustinus (Lib. de unit.

» Eccl: C. III.) Libri Dominici, quorum aucthori» tati utrique consentimus, utrique credimus; utri» que servimus. Ibi quaeramus Ecclesiam »; Atqui non posset Ecclesia per Scripturam ostendi, nisi Scripturae doctrina manifestius eluceret, quam ipsa Ecclesia; Ergo etc.

§. 279. R. admit: S. Aug: testimonium, et dist: maj: Vera Ecclesia per Sacram Scripturam ostenditur, absolute, n., ex hypothesi, conc: maj: Atqui etc. dist: min: Non potest Ecclesia eo modo per Scripturam ostendi, nisi Scriptura esset simpliciter manifestior quam Ecclesia, n. min.; nisi esset manifestior secundum quid, con: min; Ergo etc:, n. consm. Omnino negare non possumus, Ecclesiam per Sacram Scripturam ostendi posse. Verum demonstratio hujusmodi non habet vim absolutam in omnium animos, sed in eos tantum qui Scripturarum auctoritatem, earumque divinam inspirationem admittunt. Quare tali argumento optime usus est S. Augustinus, res quippe illi erat cum Donatistis, qui Scripturam Divinam admittebant. Praeterea illa demonstratio non petitur ex universa Scripturarum doctrina, sed ex uno, vel altero Scripturae testimonio, quod est pro Ecclesia, quodque inter alia innumera obscurissima loca invenitur perspicuum. Tandem haec eadem demonstratio, licet ex aliquibus Sacrae Scripturae perspicuis textibus hausta, nequit esse nota verae Ecclesiae pro omnibus hominibus, Scripturae ceteroquin credendibus, sed pro doctis tantum, atque eruditis, non vero imperitis, et rudibus.

§. 280. *Contra.* Atqui ex mente Augustini, Ecclesia per Sacram Scripturam absolute ostenditur; adeoque Scriptura est absolute clarior quam Ecclesia; Ergo n. r. Prob: subsm: Scriptura, ex mente Augustini, est unicum medium, quo vera Ecclesia probari potest; ait namque (Lib: de unitate Eccl. Cap: X.) » Utrum ipsi veram Ecclessiam teneant, non-

» nisi de divinarum Scripturarum Canonicis Libris ostendant »; Ergo etc:

§. 281. R. dist: antec: Scriptura etc., respectu omnium, n.; relate ad eos dumtaxat, qui solas Scripturas admittunt, cetera negant, subdist: Est unicum medium, quatenus Scriptura ipsa per se proxima sit nota verae Ecclesiae, n., quatenus notas praestat, quibus vera Ecclesia dignosci potest, conc: antec: et n. consm. S. Augustinus in praedicto Libro rem habet, ut diximus (§. 279.), cum Donatistis, jure ab iis requirebat, ut ex solis Scripturis, veram se Ecclesiam tenere probarent; ii namque cum Scripturae solius auctoritatem agnoscerent, nonnisi ex Scripturis poterant revinci. Itaque ex Augustini testimonio sequitur dumtaxat, ex Scripturis elici posse verae Ecclesiae demonstrationem, non absolutam, sed hypotheticam, quae nempe in eos tantum vim habet, qui Scripturarum auctoritati ultro consentiunt.

§. 282. *Obji.* II. Vera Christi Ecclesia, nonnisi per veram doctrinam a falsa distinguitur; Ergo vera doctrina est verae Ecclesiae nota; adeoque falsa propositio.

§. 283. R. n. antec: Vera doctrina cum in sola Christi Ecclesia inveniatur, quoties apparet, atque talis dignoscitur, utique dicitur verae Ecclesiae doctrina, at non verae Ecclesiae nota. Nam ut esset hujusmodi nota, deberet esse cognita ut vera, antequam cognosceretur vera Ecclesia, ita ut ea affulgente, et vera Ecclesia manifestaretur. Iam vero quis certiores nos reddet de doctrina, sit ne vera, aut falsa? Humana ratio? Haud certe, et quia fallibilis, et quia ad doctrinam supernaturalem dignoscendam insufficiens (§. 14.): Spiritus privatus? Nec etiam; tot enim forent de una re sententiae quot capita; aliunde monemur, ne omni spiritui credamus, sed singulos potius probemus num ex Deo sint. (§. 227.)? Sacra tandem Scriptura? sed haec sola, quia obscura in multis (§. 206.), non-

est nobis sufficiens ut veritatem cognoscamus. Quomodo igitur cognoscemus aliquam doctrinam esse infallibiliter veram? Utique per Ecclesiam, cui privilegium infallibilitatis concessum est; Adeoque Ecclesia est notior vera doctrina; cum haec per illam, non vero illa per istam comprobetur; adeoque etc.

§. 284. *Contra*. Atqui vera doctrina est verae Ecclesiae distintivum et nota; Ergo n. r. Prob subsm. Quisque hominum interiori sensu facile, ac certe quaenam sit vera Christi doctrina percipit, quin ad Ecclesiam recurrat; Ergo etc.

§. 285. R. dist. antec. quisque hominum, qui prophetiae dono praediti non sunt, etc:, n.; praediti sunt, subdist: aliquando conc:; semper, n. Ergo, etc. n. consm. Cum veritates, quae Nostrae Religionis, et Ecclesiae veram doctrinam constituunt, sint supernaturalis Ordinis, proculdubio ab illis hominibus percipi possunt, atque dignosci, qui spiritu Dei pleni sunt, licet non semper et pro lubitu proprio, sed prout Deo ipsis concedere placuerit. Revera omnis Propheta, licet spiritu Dei sit plenus, non semper tamen prophetat, nec omnia certo cognoscit, sed quae placet ei Deus revelare. Cum ergo non omnes sint Prophetae; et iidem qui sunt Prophetae, non semper omnia quæ vera sunt cognoscant, profecto nequit quisque hominum percipere interiori sensu quaenam sit vera doctrina. Eo vel maxime quod ipsis Haereticis fatentibus; Spiritus hujusmodi non conceditur, nisi solis spiritualibus, et praedestinatis, qui quinam qualesque sint, prorsus ignorantur.

§. 286. *Contra*. Atqui Unusquisque hominum interiori sensu facile, ac certe veram Christi doctrinam percipit; Ergo n. r Prob: subsm. Christus Dominus in persona Apostolorum, omnibus se sequentibus, magistrum interiorem, Spiritum Sanctum promisit; dixit enim (Ioan. XVI. v. 13.): *Cum vene-*

rit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; Ergo etc.

§. 287. R. falsum omnino est, Christum Dominum laudatis in argumento verbis, omnibus sequenbus se, Spiritum Sanctum promisisse, ut ipsorum magister esset, qui illos omnem doceret veritatem; privilegium namque hoc tam insigne, Apostolis ad Mundi conversionem destinatis concessum est, idque ut in fundatione suae Ecclesiae, et in subjugatione totius Orbis Legi suae, et Religioni per homines simplices, et mundanam nescientes litteraturam, ostenderet virtutem suam. Si namque ita non fuisset, opus certe non erat mittere in universum Mundum suos Apostolos, ut docerent omnes gentes. Unusquisque enim praeditus tam eccelso, atque sapientissimo divino Magistro, nullius alii Magisterii opera indigeret; ut vel ipsa abstrusissima mysteria perciperet, ac de illis facundissime loqueretur. Quare omnes essent sine labore, et aliorum auxilio docti, eloquentes, sani proinde in Fide, in dilectione; et quoniam ab eodem Divino Spirito instructi, omnes in confessione verae Fidei adunati, unius labii essent, atque uno ore Deum glorificarent, et Patrem Domini nostri Iesu Christi. Iam vero oppositum omnino factum esse, nemo non videt; Nam ad homines divina Lege imbuendos missi sunt per Orbem Apostoli; Et ipsi profecti praedicaverunt ubique, atque homines docuerunt servare omnia quae Iesus mandaverat eis. Ultraquamquod dedit Deus sequentibus temporibus Doctores, qui alios erudirent; et nonnisi valde paucos invenimus, qui singulari privilegio, interiori Spiritus Sancti magisterio fuerant edocti. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Notæ veræ Christi Ecclesiae quatuor sunt; 1. *Unitas*; 2. *Sanctitas*; 3. *Catholicitas*; *et* 4. *Apostolicitas*.

§. 288. Ita in Symbolo Constantinopolitano credere profitemur, cum dicimus: *Et unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *et Apostolicam Ecclesiam*.

§. 289. *Prob.* Et primo quidem: Ecclesia Christi vera *Una* sit oportet. Nam ipsa dicitur in Scripturis Corpus Christi, Sponsa, Ovile; atqui unum est corpus, cujus Christus est caput, ut ait Apostolus (Rom. XII. n. 5.): *Multi unum corpus sumus in Christo.* Una est Christi sponsa, juxta illud Canticorum (Cap. VI. v. 8.) *Una est perfecta mea.* Unum est Christi ovile; unde et ait ipse apud Joannem (Cap: X. v. 16.): *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*; *et illas oportet me adducere*, *et vocem meam audient*, *et fiet unum ovile*, *et unus pastor*; Una ergo sit Ecclesia necesse est; adeoque *Unitas* est veræ Ecclesiae nota. Apposite S. Cyprianus (Epist: 40. ad Rob.) » Deus unus est, et Christus unus, et una » Ecclesia, et Cathedra una super Petrum, Domini » voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdo- » tium novum fieri præter unum altare, et unum » Sacerdotium non potest. Quisquis alibi colligit, » spargit ».

§. 290. Secundo: Ecclesia debet esse *Sancta*; Nam ipsa est Sponsa Christi; si ergo Christus est Sanctus, innocens, impollutus et segregatus a peccatoribus; immo totius Sanctitatis fons et origo, Sanctam proculdubio voluit Ecclesiam, et talem revera effecit. Etenim ait Apostolus (Eph: C. V. v. 25. 26 27.): *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam*

non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata; Ergo etc.

§. 291. Tertio: Ecclesia, *Catholica* sit necesse est, hoc est, universalis et toto Terrarum Orbe ubique diffusa; promiserat namque Dominus per Prophetam Malachiam, dicens (Cap: I. v. 11.): *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Revera Christus fundaturus Ecclesiam, non intra limites alicujus Regni, aut partis Terrae eam voluit statutam, sed ubique Terrarum: *Euntes*, dixit discipulis suis (Marci XVI. v. 15.): *in mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ . . . . illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*; Ergo etc.

§. 292. Quarto tandem Ecclesia, debet esse *Apostolica.* Cum namque Apostoli a Jesu Christo delecti fuerint ad Ecclesiam per Universum stabiliendam, et propagandam, immo, tamquam Ecclesiæ ipsius firmissima fundamenta, licet secundaria; qua de re Paulus ad Ephesios scribens, ait (Cap: II. v. 19): *Estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum etc.* Illa ergo est vera Christi Ecclesia, quae doctrinam Divinam per Apostolos acceptam, incorruptam conservat, atque continuatam ab Apostolis ministrorum, atque Pastorum successionem habet; uno verbo, est Apostolica; Adeoque etc.

PROPOSITIO III.

Sola Romana Ecclesia, quæ vulgo Ecclesia Catholicorum dicitur, una est.

§. 293. **Probatur. Unitas Ecclesiæ in tribus potissimum consistit; 1. nempe in unitate Fidei, et do-**

ctrinæ; 2. in unitate membrorum cum legitimo Pastore, ac Jesu Christi in Terris Vicario Romano Pontifice; tandem in unitate mediorum ad salutem consequendam; Atqui talis unitas in Ecclesia Romana, et non in alia quacumque societate reperitur; ergo etc. Prob. min.: Et primo quidem in Ecclesia Romana adest unitas Fidei. Sicut namque unus est Dominus qui eam fundavit, ita et una est omnium credentium Fides. Percurre omnes Mundi partes, interroga si potes Christianos omnes, ubicumque degentes de doctrina Fidei: quid? Idipsum sentiunt in uno spiritu; *Omnium credentium est cor unum, et anima una* (Actor: IV. v. 32.); unius labii sunt, et quod credit, et credendum proponit Romana Ecclesia, omnes similiter credunt, idipsum ore uno prædicant, et uniformiter scribunt: Quare S. Augustinus (1) ait: *Qui volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam: Quia in diversitate linguarum carnis, una est in fine lingua cordis.*

§. 294. Secundo in Ecclesia Romana adest unitas membrorum cum capite; Omnes quippe Christi fideles toto Terrarum orbe dispersi, unum corpus efficiunt, juxta illud Apostoli: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter altertus membra* (Rom: XII. v. 5.); omnes unanimiter Supremo capiti Romano Pontifici obtemperant; et veluti mitissimæ oves pascuæ Jesu Christi, vocem audiunt successoris D. Petri, cui eas pascendi cura a Domino demandata fuit, illis verbis (Joan. ult. v. 17.): *Pasce oves meas.* Ergo etc.

§. 295. Tertio tandem, Romana Ecclesia unitatem habet mediorum ad salutem æternam obtinendam. Et sane, vel de mediis internis, puta Fide, Spe, et Charitate loqui velimus, vel de mediis ex-

---

(1) *Apud* Boyvin *Tom. IV. q. 1. de 1. nota Eccl. conc. 1.*

lemnis, puta Lege Evangelica, Sacramentis, Sacrificio Eucharistiæ: quocumque modo, nulla est discordia inter fideles, nulla schismata sunt in iis admittendis; Ergo etc.

§. 296. At ceteræ Hæreticorum, atque Schismaticorum societates? Non sic illæ, non sic. Nulla certe in eis doctrinæ et Fidei unio, atque consensio; imo tanta diversitas, et divisio, ut potius Babelicas confusiones, quam Ecclesias dixeris; quod et ipse Lutherus advertens, *Tot inter nos*, *dixit*, *Religiones sunt quot homines*, *nec asinorum quisquam est tam hebes*, *et vecors*, *qui insomnia proprii capitis*, *et proprium opinionem pro instinctu Spiritus S.*, *et seipsum Prophetam haberi nolit.* (Epist. ad Antuerpienses.) Nulla mediorum conformitas ad salutem consequendam. Quaedam plura, quædam pauciora admittunt Sacramenta; quaedam haec, quædam illa necessaria deprædicant. Nulla tandem unio membrorum cum Capite in illis, quippe a vero Pastore, et Christi Vicario Romano Pontifice sejunctae; nullam propterea Episcoporum, ac Pastorum legitimam missionem, ac successionem habent; Ergo in sola etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 297. *Objic*: 1. **Doctrinae unitas, atque conformitas non reperitur in sola Ecclesia Romana, sed in aliis quoque Ecclesiis ab illa sejunctis; Ergo unitas doctrinae non est nota veritatis in Ecclesia Romana et consequenter etc.**

§. 298. R. **mentiuntur Haeretici dum asserunt in ipsorum Eeclesiis Doctrinae unitatem servari, non secus ac in Ecclesia Romana. Nam clarissime constat, ipsos unitatem Fidei non habere, sive per ordinem ad Fidem primitivae Ecclesiae, sive per ordinem ad eos, qui eorum Sectas componunt. Et quantum ad primum, sancti Patres primitivae Ecclesiae Fidem ha-**

buerunt omnino oppositam doctrinae Haereticorum, quod Haeretici non negant, et Calvinus ipse pluries testatus est, praesertim Lib: III. Inst. Cap: III., ubi scribit *repugnare se toti antiquitati*; Lutherus vero (sub. init: Lib: se abrog. Missa) hanc protestationem praemisit: « Profiteor in primis contra » eos, qui damnaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiae, quod contra statuta Patrum docuerim, nihil » horum me auditurum. Quantum vero ad secundum, Haeretici sibimetipsis saepissime contradicunt in rebus Fidei, ut erudite non minus quam uberrime probat Illustrissimus Bossuetius Meldelsis Episcopus in Historia variationum Ecclesiae Protestantium, in qua legi possunt numero multae, itidemque contrariae inter se ab Haereticis Novatoribus editae Confessiones, quas animadvertens Dux Saxoniae, argute dixit de Civitate Virtembergensi: *Nescio quid hoc anno credant; quid vero anno proxime futuro credituri sint vicini mei Virtembergenses*. In tanta autem Confessionum Fidei varietate, quae Fidei unitas, atque consensio esse potest?

§. 299. *Contra*. Atqui licet in Ecclesiis aliarum Societatum difformitas aliqua in doctrina deprehendatur, adhuc tamen unitatis nota gaudere debent; Ergo n. r. Prob: min. subsa. Etsi in Ecclesia Romana varietas doctrinae observatur, alia enim est doctrina Thomistarum, alia Scotistarum, alia Carmelitarum, alia Augustinianorum, adhuc ipsa unitatis nota gaudere dicitur; Ergo etc.

§. 300. R. dist: antec: In Ecclesia etc., circa Fidei dogmata, n. antec: circa quasdam opiniones mere scholasticas, quae Fidei non obstant, conc:; Ergo etc:, n. consam. Verum est, inter Catholicos Theologos, veluti inter Thomistas, et Scotistas, non raro doctrinarum varietatem inveniri; Sed hoc non officit unitati Ecclesiae, quia talis doctrinarum varietas non est circa Fidei dogmata, quae ab ipsis jun-

cto agmine profitentur, atque defenduntur, sed circa quasdam Scholae opiniones » in quibus, salva fide » (ait Augustinus Lib: II. de pecc: orig: c. 23.), » qua Christiani sumus, aut ignoratur quod verum » sit . . . aut aliter quam est, humana, et infirma » suspicione conjicitur », Quare eas Ecclesia ipsa, et ad veritatis inquisitionem, et ad ingeniorum exercitationem in varias, atque oppositas partes, agitare permittit. Non sic autem inter Haereticos; inter ipsos namque varietas doctrinae, est circa Fidei dogmata (§. 296.).

§. 301. *Contra.* Atqui in Ecclesia Romana, etiam circa Fidei dogmata doctrinae unitas non servatur, ergo n. r. Prob: subsm. Multa nunc ad Fidem pertinent, quae temporibus Apostolorum ad eam non spectabant; ut validitas Baptismi ab Haereticis collati, processio Spiritus Sancti a Filio, existentia Purgatorii, etc:; ergo etc.

§. 302. R. dist: antec: Multa etc. non spectabant explicite, conc:, tam explicite, quam implicite n. antec: et consm. Non pauca Fidei dogmata, quae modo Fide explicita, credenda ab Ecclesia proponuntur in primitiva Ecclesia implicite tantum credebantur. Iam vero quid officit unitati Fidei, quod dogma aliquod olim crederetur implicite, nunc autem credatur explicite? dogma idem est, et semper quoad se dogma Fidei fuit, nulla propterea mutatio substantialis in eo facta est, sed solum in modo; quod unitati doctrinae non adversatur.

§. 303. *Objic:* II. Ecclesia Christi non est una sed multiplex; ergo etc. Prob: antec: In Apocalypsi legitur: *Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia* (Cap: I. v. 4.). Ergo etc.

§. 304. R. admi: auct: dist: sensum. Et ibi Joannes loquitur de Ecclesiis particularibus, conc:, de Ecclesia universali, n: antec:, et consm. Pluralitas Ecclesiarum, de qua, loco citato loquitur Ioan-

nes non respicit Ecclesiam Christi sponsam, de qua dictum est: *una est perfecta mea*, sed Ecclesias particulares Asiae, quae erant veluti membra Ecclesiae universalis, quae Christi corpus mysticum est. Audiatur Tertullianus (Lib: de Praesc: Cap: X.): » » Tot, et tantae Ecclesiae, una est illa ab Apostolis » prima, ex qua omnes. Sic omnes primae, et Apo» stolicae, dum una omnes probant unitatem ».

§. 305. *Contra*. Atqui ipsa etiam universalis Ecclesia una non est; Ergo a capite argm. Prob: subsm. Unitatis universalis Ecclesiae radix, ex Petri Cathedra colligenda est, ad quam ex particularibus Ecclesiis fideles conveniunt. Atqui talis Cathedra interdiu vacat, interdiu est sine ullo Pastore; ergo ex illa nequit colligi radix unitatis universalis Ecclesiae, et consequenter etc.

§. 306. R. n: utramque consequentiam. Ex quo S. Petri Cathedra interdiu vacet, atque interdiu sit absque pastore, perperam concludunt Heterodoxi Ecclesiae universalis unitatem perire. Sicuti enim Regnantium successio in aliquo peculiari Regno, non disrumpitur ob Throni vacationem, aut ob aliquod exortum discrimen; ita neque Pontificum successio disrumpitur ob vacationem Cathedrae, aut ab aliquod enatum schisma. Etenim quando Sedes est vacua, censetur tantum esse inter-Regnum; et quando contenditur de Papatu, dici non potest, quod sit interrupta successio, quia semper adest, qui legitime sit in Petri successorem electus. Ubi autem non satis constat de vero illo successore, qui fuit legitime in Papam constitutus, neutra fidelium pars schismatis rea dici potest sive uni, sive alteri Pontifici adhaereat; modo tamen utraque sit parata illi obedire Pontifici, qui lite absoluta, pacifice in Petri Cathedra sedebit.

§. 307: *Contra*. Atqui supposita dicta lite inter fideles de vero Pontifice, clare patet, Ecclesiam Ro-

manam unitatem non servare. Ergo n. r. Prob: subsm. Lite illa supposita, fideles ad invicem dissentiunt in praestanda legitimo Pastori obedientia; Ergo supposita etc.

§. 308. R. dist: antec: Lite illa etc:, dissentiunt ad tempus, conc:, semper, nego antec:, et consm. Licet supposita dicta lite fideles dissentiunt, dissentio tamen haec non est perpetua, sed ad tempus, usquedum nempe ipsis non innotescat, quinam ex illis, qui de Papatu contendunt, sit canonice in Petri successorem electus.

PROPOSITIO IV.

Sola Ecclesia Romana Sancta est.

§. 309. *Prob*: Vera Christi Ecclesia quadruplici ratione dici potest Sancta; vel 1. nempe sanctitate Capitis, vel 2. vocationis, vel 3. professionis, vel tandem 4. sanctitate praecipuorum membrorum. Atqui Ecclesia Romana, omnibus hisce rationibus Sancta est; Ergo etc. Probatur min. quoad singulas ejus partes. Et primo quidem: Ecclesia Romana a Jesu Christo vero Deo, et homine sanctitatis totius fonte, nec non ab Apostolis omni virtutum genere ornatis, atque sanctitate illustribus fundata fuit, quibus, omni aevo, Episcopi Sancti, et Pontifices successerunt, sanctitate praecellentes, qui miraculis suae probitatis fidem indubiam praesentibus, atque posteris fecerunt; Ergo etc.

§. 310. Secundo. Quicumque in ea vocantur, ad sanctitatem vocantur: ait namque Apostolus ad Ephesios scribens (Cap: I. v. 11.): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus*; Et ad Thessalonicenses (1. Cap: IV. v. 7.): *Non enim*, ait, *vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*. Quare S. Petrus, Christianos alloquens, eos (Epist: I. Cap: II.

v. 9.) appellat *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*. Ergo Romana Ecclesia Sancta quoque est, sanctitate vocationis.

§. 311. Tertio. Doctrina et mores, qui in Romana Ecclesia profitentur, undique sanctitatem spirant, sanctitatem suadent, ad sanctitatem adquirendam ordinantur, et conducunt. Sancta dogmata quæ profitentur, eloquia sunt Domini; casta quidem, et immaculata, argentum igne examinatum. Mores sancti; in ea quippe sæpius illud Domini fidelibus repetitur, et inculcatur (Matt: Cap: V. v. 16.): *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in Coelis est* (1. Cap: IV. v. 7.), vel illud D. Joannis (1. Cap: IV. v. 7.): *Filioli diligamus nos invicem, quia Charitas ex Deo est* (ib: Cap: III. v. 18.): *Diligamus non verbo, et lingua sed opere, et veritate*; vel aliud hujusmodi. In ea mores corrupti per sanctos prædicatores acriter taxantur, et quod bonum est, rationibus, auctoritatibus, atque exemplis faciendum diligenter suadetur. Audiatur Paulus ad Philippenses (Cap: IV. v. 8.): *Fratres quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque bonæ famae, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, haec cogitate*. Nihil (uno verbo) « nihil in Christianis Ecclesiis turpe, et flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur (Aug: de Civ. Dei Lib: II. Cap: XXVIII.). » Igitur Ecclesia Romana Sancta est sanctitate professionis. (§. 310. 311. 102.).

§. 312. Quarto tandem. Esto in ea omnia membra sancta, et absque omni prorus macula non sint; ait quippe S. Joannes (1. Cap: I. v. 8.): *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Sunt tamen permulta in quibus virtus et Sanctitas elucescit quamquodmaxime.

Quot namque parvuli sacro baptismate abluti, gratia sanctificante præditi sunt, et vocantur et sunt filii Dei? Quot adulti, qui licet aliquando lapsi, per Sacramentum Poenitentiae Deo reconciliati, Divinæ naturæ consortes denuo facti sunt? Quot Episcopi, Pastores, ac Praelati, qui ea quæ muneris proprii sunt, ex Apostolo (Ad Tim: Cap: III.), perfecte adimplentes, in sanctitate et justitia coram Pastorum Principe ambulant, ab eo laborum suorum justam mecedem retributionis accepturi? Quot sacræ Virgines sive in Claustris, sive in domibus degentes, nedum nescire volunt thorum in delicto, sed uni viro, castissimo animarum dilecto, qui pascitur inter lilia, desponsatæ, stolis albis amictæ, agnum sequuntur, quocumque ierit? Quot tandem Laici cujuscumque sexus, ætatis, et conditionis inveniuntur, qui juxta Pauli monitum (Ad Coloss: IV.), induunt se, *sicut electi Dei, Sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam?* Ergo Romana Ecclesia sancta est quoque, sanctitate membrorum.

§. 313. Sed Ecclesiæ Hæreticorum? Ne vestigium quidem, et umbra sanctitatis in eis apparet. Auctores earum impii, atque omni vel foedissimo scelere inquinati fuerunt, elati, seipsos amantes, bonorum morum corruptores, impudici, Sacrarum Scripturarum depravatores, impii, blasphemi, Divinitatis hostes, et gratiam Dei convertentes in luxuriam, atque vel Dominum nostrum Iesum Christum, vel Spiritum S., vel Deum ipsum unicum, aut providentem, aut justum negantes. Silentio singulorum nomina, atque peculiaria scelera, hic praeterimus, ne pusilli scandalo afficiantur. Lutherum solummodo, atque Calvinum liceat, obiter notare. Sane, quis Lutherus fuit? quis Calvinus? uterque votifragus, impudicus, seductor. Primus per decem annos laboravit, ut coscientiae stimulos extingueret; secundus ob crimina flagellatus fuit. Quare quotquot in illorum Sectis vocantur, non in sancti-

ficationem, sed in corruptionem, immunditiam, et perditionem vocantur. Nam docent Deum auctorem esse peccati, immo ad peccandum cogere; impossibilia praecipere etc. Nullus proinde in eis reperitur vere, qui per semitas justitiæ ambulando, recta tendat ad salutem consequendam, et consequatur reapse. Igitur etc.

Adversariorum argumenta enodantur.

§. 314. *Objic.* 1. Multi sunt in Romana Ecclesia Pastores, multæ pariter in ea sunt oves, in quibus nulla prorsus est Sanctitas; Ergo aut illi in Ecclesia non sunt, quod vos negatis, aut ipsa Ecclesia Sancta non est; consequenter etc.

§. 315. R. neg: consm. Sancta utique non est Ecclesia, quasi solos contineat justos; est enim ipsa in Arca Noë figurata, in qua fuerunt munda cum immundis animalibus; est insuper ovili assimilata, in quo sunt oves, et hædi; est tandem assimilata areae, in qua triticum cum palea reperitur. Sed dicitur Sanctà in se, licet admittat membra putrida, vel potius Sancta et ratione intellectus, illa quidem sanctitate, quæ consistit in carentia erroris in Fide, et ratione voluntatis. Sancta etiam dicitur, ea nempe Sanctitate, quæ consistit in carentia pravorum affectuum, et in perfecta cordis munditia, qua quilibet Christianus ad Deum convertitur: et hac de causa, quamvis aliqua membra Ecclesiæ Sancta non sint, Sancta tamen esse non desinit Ecclesia ipsa in se, per allatas rationes.

§. 316. *Contra.* Atqui eo ipso, quod omnia membra Ecclesiæ Sancta non sint, nec ipsa Ecclesia dici potest Sancta; Ergo n. r. Prob. subsm. A parte majori sumitur denominatio: atqui major Ecclesiae pars in peccatoribus consistit; *multi* enim, per Evangelium (Matth: C. XXII. v. 14.), *sunt vocati*, *pauci vero electi*; ergo eo ipso etc.

§. 317. R. dist. maj: a parte majori sumitur denominatio, quando pars illa est nobilior, conc:, secus, nego maj:, et concessa min:, nego consm. Sumenda non est denominatio a parte majore, nisi quando pars illa sit nobilior. Sic homo pulcher dicitur, si faciem tantum principaliorem corporis partem pulchram habeat, etiamsi in reliquis membris sit ipse deformis; Sic pariter Sancta est Ecclesia in suo Capite, licet multa ipsius membra sancta non sint. Quid ultra? etsi omnia membra Ecclesiæ sanctitatem non affectent in actionibus suis, eam tamen profitentur, quod sane sufficit ut Sancta ipsa dicatur. Tandem sicuti Sanctum esse non desinit unumquodque Religiosi Ordinis Institutum, esto Religiosi fere omnes suae Religionis trasgrediantur præcepta, ita Sancta esse non desinit Ecclesia, esto a sanctitate aberrent Christiani.

§. 318. *Contra.* Atqui aberrantibus a sanctitate Christianis, saltem suspecta reddi potest Ecclesiae sanctitas; viget ergo argumentum. Prob. subsm. Corruptio morum in Christianis a sanctitate aberrantibus, et praecipue in Pastoribus, suspectam reddit doctrinam Ecclesiae, alioquin non aliter viverent, quam doceant; unde praeceperat Christus, dicens (Matt. Cap: VXIII. v. 3.) *Quaecumque dixerint vobis servate, et facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt*; ergo aberrantibus etc.

§. 319. R. neg: ans. Novatoribus adversariis nostris præcipue evenit, quod in notissimo illo principio habetur si « æxtimandis rebus sinistrum dumtaxat oculum quis intenderit, occluso dextero, ea quoque, quæ rectissima sunt, videbuntur pessima ». Ipsis inquam, pessima videntur, quæ sunt in Ecclesia ceteroquin mirabilia. Sunt etenim in ipsa Ecclesia et boni, in quorum sanctitate operum, signum emicat veræ doctrinæ, quod sua perversitate mali non enervant; sunt insuper et mali, qui operantes adversus

morum doctrinam, ideo perversi sunt. Ceterum nec vitæ impuritas argumentum est falsae doctrinæ, nec verae doctrinae signum est vitæ sanctimonia; quandoquidem potest quis cæteroquin perversus, veram tradere doctrinam, eamque aliis prædicare, licet ipse eam non adimpleat. Tantum igitur abest ut corruptio morum, præsertim in Pastoribus, suspectam reddat Ecclesiæ doctrinam; consequenter etc.

§. 320. *Objic.* II. Sancta non est Romana Ecclesia, si ipsa reformatione indigeat:; Atqui ita est reapse; Ergo etc: Prob: min. Si reformatione non indigeret Romana Ecclesia, frustra ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora, tot editis Canonibus reformatio praescripta fuisset; Atqui praescripta fuit; ergo etc. adeoque etc.

§. 321. R. dist: maj: Si etc., si non reformatione indigeret, relate ad Fidei dogmata, et doctrinam, conc: maj:, si reformatione non indigeret relate ad morum disciplinam, nego maj:, et dist: min: Sed praescripta fuit, relate ad morum disciplinam; conc:, relate ad Fidei dogmata, et doctrinam, nego min:, et consm. Pro varietate temporum varia fuit in Romana Ecclesia disciplina; hinc nemini dubium, quod Concilia, et ultimo Tridentinum plurimum elaboraverint, ut depravatos mores tum Cleri, tum plebis, aut corrigerent, aut emendarent. Ast nunquam suadebunt adversarii nostri, quod fuerit quandoque immutata, aut reformata doctrina in rebus Fidei; Ecclesia quippe semper eamdem est professa doctrinam, quam ab Apostolis recepit; sicuti nec ullum potest ab iis adsignari tempus, in quo vetus illa doctrina, ab Apostolis per Orbem sparsa, enervata fuerit, et variata; id quod dici potest de Novatorum Ecclesia, quæ multos undique est passa Reformatores, a quibus fuerunt quamplurimi emendati, et variati errores, quibus eorum scatebat doctrina cæteroquin perversa. Unde sub hoc

respectu sancta non esset Ecclesia relate ad membra, quod nos ultro concedimus; licet ipsa sit sancta in se.

§. 321. *Contra.* Atqui officit sanctitati Ecclesiae quod Concilia adlaboraverint in reformanda Ecclesiastica disciplina, ergo n. r. Prob: subm. Officit sanctitati Ecclesiæ, quod renovatis legibus, et Canonibus de Reformatione, adlaboraverint Concilia, ut scelestos fideles, quasi repagulis quibusdam, coercerent, et ad vitae innocentiam revocarent; ergo officit Sanctitati etc.

§. 323. R. neg: antec. Si in restauranda Ecclesastica disciplina adlaboraverint Concilia, id utique fidelium infirmitati ex corruptione naturæ ad malum, et in corruptelas proclives tribuendum, non institutis, et regulis morum, quas Ecclesia exhibet, quæ sanctæ sunt, et ad perfectam sanctitatem manuducunt volentes. Ea propter perbelle nimis dicebat Augustinus (in Psalmo 99. n. 13.) « In Ecclesia sunt Christiani » mali, sed sunt et boni .... invenis Sanctimoniales » indisciplinatas, numquid Sanctimonium reprehen» dendum ? » In Ecclesia proinde ex malis fiunt boni, et per restauratam disciplinam multi evadunt sanctitate celeberrimi. Reprehendenda igitur non est Ecclesia ut sanctitate destituta, etsi Canones edat pro reformandis moribus, nec ipsius officit Sanctitati, etsi multa ipsius membra reformatione indigeant.

§. 324. *Contra.* Atqui non Romana Ecclesia, sed aliæ potius Hæreticorum Sectæ, per id præcise, quod reformatione non indiguerint, dicendæ sunt sanctæ; viget ergo argumentum Prob. subsm. Nulla in Hæreticorum Sectis facta fuit reformatio; illæ siquidem longe, lateque sunt diffusæ, et nulla penes ipsos intuetur corruptio in disciplina jam stabilita; ergo non Romana etc.

§. 325. R. neg: antec: Quod propagatæ fuerint Hæreticorum Sectæ, nil sane mirum: ea enim per illos rescissa sunt, vel saltem resecata, quæ magis ardua

videbantur, et onerosa, ut magis faverent corruptæ hominum libertati. Verum quae sanctitas esse potest in tot Haereticorum Sectis, si per illos, veteres errores jampidem ab Ecclesia damnati renovantur? Quæ potest in illis excogitari sanctitas, si ut plurimum, errores turpissimi adversus veram spiritus doctrinam efformantur, et buccis crepantibus publicantur? Si vitia foventur, removentur virtutes? Si denique illarum Sectarum Patroni, innumeris culpantur excessibus, quemadmodum Historici undique conclamant? Igitur etc.

PROPOSITIO V.

Soli Romanæ Ecclesiæ nomen Catholicæ competit.

§. 326. Probatur. Nam primo Ecclesia Romana omnes, et quascumque gentes vocat, ac veluti mater suo sinu complectitur, quæ ad ipsam veniunt, ut eas Fide, aliisque mediis immaculatas, et sanctas servet sponso suo. In ea non est distinctio Judæi, et Græci, Barbari, et Scitæ, Sapientis, vel insipientis, omnes unum corpus sunt in Christo Jesu, omnes filii ejusdem matris; et ad invicem fratres dicuntur. Deinde Romana Ecclesia per totum Terrarum Orbem est diffusa. Est namque in Asia, America, Japonia, in Brasilia, in Europa, in Africa; et ubique Christiani inveniuntur, qui eamdem Fidem quam tenet S. Romana Ecclesia profitentur, et Catholici appellantur. Veniat sane quicumque sit Catholicus Ecclesiae Romanae a quibuslibet etiam remotissimis, nobisque penitus ignotis Mundi plagis, et de nostrae Fidei veritatibus interrogetur, eadem dicet ac nos; nec quidpiam addet, vel minuet; Ergo sola etc.

§. 327. Contra vero Ecclesiæ Sectariorum, Hæreticorum nempe et Schismaticorum, neque eamdem Fidei universitatem habent, neque gentes omnes complectun-

tur; Unde merito S. Augustinus (cont: Donat. Cap. 11.), sectarios urget dicens: » Date mihi hanc Eccle- » siam si apud vos est: ostendite vos communicare » omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine » benedici. Date hanc, aut furore deposito accipite, » non a me, sed ab illo ipso, in quo benedicuntur » omnes gentes «; sed quomodo dabunt hanc Ecclesiam? Igitur etc.

§. 328. *Objic.* I. Ecclesia Romana est illa particularis Ecclesia, quæ Romæ constituta, ad territorum Romanæ Urbis restringitur; ergo non est Catholica, et per universum Orbem diffusa; adeoque ruit exposita Thesis.

§. 329. R. dist: antec. Ecclesia Romana: etc., si materialiter usurpetur, sive pro loco in quo est sita, conc:, si autem formaliter, sive pro eo, quod ipsa importat, nego antec., et consm. Etsi Romana Ecclesia materialiter accepta, ad territorium Romanæ Urbis sit restricta, est tamen consentientibus Patribus universis, Catholica, et per totum Orbem diffusa; præsertim autem triplici sub respectu, tamquam ad tria Capita, ad quæ Patres iidem respexerunt. Primo quidem, quia Romana Ecclesia fuit, et est Mater, et Caput omnium aliarum Ecclesiarum, quæ toto Orbe sunt dispersæ, cui nisi aberrare velint, debent se conformari in Fide, et Religione; Unde Cyprianus (Lib: de unitate Ecclesiæ) hæc habet: » Qui Cathedram Petri, super quam fundata est » Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit? Idque ut certum proponitur ipso Apostolicæ Sedis oraculo, quippe in Constitutione Ioannis XXII. *Gloriosam*, hæc leguntur. « Peccatum Paganitatis incurrit, quis- » quis dum se Christianum asserit, Sedi Aposto- » licæ obedire contendit, a qua semper fuit integer- » rima fides custodita, et aliis communicata ». Secundo quia qui est Episcopus Ecclesiæ Romanae priori acceptione usurpatae, est simul Episcopus Ecclesiae uni-

versalis, quae toto Orbe est diffusa, et ipsi Episcopo omnes ubique oves, omniumque ovium Pastores sunt commissi per illud Christi Domini, qui D. Petro dixit (Ioan: Cap: XXI. v. 17.): *Pasce oves meas*. Fuit porro Petrus Vicarius Christi, Caput, et Pastor totius Ecclesiae, cui postea cum pari postate successerunt, et succedunt Pontifices Romani, a quibus tamquam a Capite ceterae influxum habent Ecclesiae, non secus ac a capite cetera membra suum recipiunt influxum. Tertio tandem, quia cum Romanus Pontifex sit in materia Fidei, et morum ab errore immunis, sequitur ex non interrupta successione Pontificum, quod eadem semper in Ecclesia fuerit Fidei, et morum doctrina, quam Apostoli praedicarunt, et nobis scripto, vel Traditione reliquerunt; ideo ex dicta successione optime habetur status Ecclesiae universalis. Quolibet igitur sub recensito respectu Romana inspiciatur Ecclesia, luculentissime constabit, ipsam Catholicam esse, seu universaliter diffusam.

§. 330. *Contra*. Atqui esto Romana Ecclesia sit mater, et Caput aliarum, esto Romanus Pontifex sit universalis Episcopus, esto denique sit ipse in rebus Fidei, et morum infallibilis, adhuc tamen Ecclesia nec est, nec dici potest Catholica; restat ergo in suo robore argumentum. Prob. subsm. Quolibet sub respectu Romana inspiciatur Ecclesia, ea tamen non est in Anglia, Scotia, in Provinciis fœderatis, Dania, Svecia, majori Germaniæ parte, Transilvania, Moldavia, Valachia, Russia, Moschovia etc.; ergo esto etc.

§. 331. R. dist. ant: quolibet sub respectu etc., et in Provinciis illis adsunt Catholici, qui non Dominium, sed usum habent suæ Religionis, conc: antec; qui nec usum habent suæ Religionis, nego, antec, et consm. Irrito prorsus conatu nobis momentum illud objiciunt adversarii, ut inde suadeant, Romanam Ecclesiam non esse universaliter diffusam; nam etsi in relatis Provinciis Romanæ Ecclesiæ Fides

non vigeat, vigent tamen Christiani Catholici, qui usum habent suae Religionis; quod sane sufficit, ut Catholicitas in nostra satuatur Ecclesia. Porro eadem ratione nos dicimus, Romanam Ecclesiam Catholicam, quemadmodum Catholicam nominarunt Cyprianus præsertim, Hieronymus, Augustinus, et alii passim; appellata inquam, fuit a laudatis Patribus Romana Ecclesia Catholica, etiamsi multi tunc temporis existebant populi, qui Romanæ Ecclesiæ Fidem non agnoverant; sic pariformiter nos eamdem Catholicam appellamus, esto ipsius Fides in aliquibus Provinciis non existat. Et id ea præsertim de causa, quod sola Romana Ecclesia seorsim, et separatim sumpta diffusior est ceteris Hæreticorum Sectis; ipsa quippe ita eminet in Europa, Africa, Asia, et America, ut haec tanta ipsius diffusio aequiparari non possit cum aliis Ecclesiis ab ea sejunctis. Ceterum si nonnullae adhuc sunt Regiones, in quibus Evangelium non est praedicatum, praedicabitur tamen temporis successu, et ita implebitur praedictio Christi apud Matth: (Cap: XXIV. v. 14.); *Praedicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe, in testimonium omnibus gentibus*; et ita si de facto Romana Ecclesia non sit Catholica, Catholica est tamen in fieri.

§. 332. *Contra*. Ex concessis Romana Ecclesia, de facto non est Catholica; ergo revera Catholica non est; adeoque etc. Prob consa: quae Ecclesia divinitus praeponitur ad majorem diffusionem, cum modo non sit omnimode diffusa, Catholica non est: sed Romana Ecclesia praefigurata in parvo illo Christi grege divinitus praeparabatur, et praeparatur ad majorem diffusionem; ergo revera Catholica non est.

§. 333. R. neg: maj: Romana Christi Ecclesia eadem semper fuit, et est, sive quando Apostolorum aetate ipsa floruit, sive quemadmodum nunc floret per totum Orbem diffusa: sicut enim non alius dicitur homo, quando est puer, et quando adultus; ita non

alia Ecclesia in suis primordiis, ac veluti infantia, alia in sui dilatatione, seu veliti in sui maturitate. Sed semper Catholica, quia semper universalis. Universalis, inquam, tum propter praecepta, quae omnes ex tunc obligabant, tum propter infallibilitatem doctrinae, tum denique propter salvandos, quia extra eam non est salus. Est porro ipsa de facto in se Catholica, licet relate ad diffusionem per loca sit tantum Catholica in fieri; consequenter etc.

§. 334. *Objic.* II. Illa Ecclesia Catholica non est, quæ cum toto Orbe communione non jungitur; hujusmodi autem est Romana Ecclesia, ea igitur Catholica non est; adeoq: etc. Prob min: et ad ostendendam negatae mioris veritatem, satis esse reor hic Cresconii verba afferre, qui Augustinum conatur convincere, ipsique suadere praetendit, Ecclesiam illam, cum qua ipse communicabat, Catholicam non esse, inquit enim: » Quomodo totus Orbis communione » vestra plenus est, ubinam multae sunt haereses, » quarum nulla vobis communicat? » quibus positis, en in forma argumentum. Nemini dubium, quod per Orbem plurimae adsunt Hæreticorum Ecclesiae, quae cum Romana non communicant, nec Romana cum illis; ergo reapse Romana Ecclesia cum toto Orbe communione non jungitur; adeoque etc.

§. 335. R. negando consm. Quam futile sit id, quod nobis a Cresconio objicitur, nemo non videt; in ipsum namque objectam possumus retorquere difficultatem, et praesertim recitando, quae Augustinus dixit (Lib: 36. de Pastoribus Cap: 8.) « Est in Africa, » inquit ipse Theologorum doctissimus, est in Africa » pars Donati Eunonimiani non sunt in Africa, sed » cum parte Donati est hic Catholica: sunt in Oriente » Eunomiani, ibi autem non est pars Donati, sed cum » Eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est tamquam » vitis crescendo ubique diffusa; illi sunt tamquam sar- » menta inutilia ». Dicimus proinde, quod si valeret

objecta difficultas, etiam Cresconii Ecclesia potiori jure Catholica non esset, quia cum aliis non communicabat Ecclesiis. Verum ad retundendam ejus audaciam, unicuique affulget, quod ubi Donatistæ, ubi Lutherani ubi Calvinistæ, aliique pessimae furfuris Haeretici, ibi et plures Catholici sunt; at non ubique illi, ubi doctrina Catholica fideles reguntur; non quidem in Italia illi, non in Hispania, aliisq: Orbis partibus, quæ Catholicis patent; id quod suadet, Romanam Ecclesiam cum toto Orbe communione conjugi, quod cum aliis non verificatur Ecclesiis. Interim si Ecclesia Romana cum aliis Hæreticorum Ecclesiis non communicat, id est praecipue, quia ut alias diximus cum Augustino « Ecclesia ipsa quæ sunt contra Fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit »; et ideo quos videt erroribus irretitos, eos anathemate percellit, atque veluti palmites a Vite Christo recisos continuo conclamat. Nullius ergo est roboris superius adducta objectio.

§. 336. *Contra.* Atqui per hoc ipsum praecise quod Romana Ecclesia toto Orbe non communicat, ipsa Catholica non est; redit ergo argumentum. Prob: subsm: Urget ipse Cresconius citato in loco, et ait: » Non communicat Oriens Africae, nec Africa Orienti; unde sic negata propositio restauratur. Si Romana Ecclesia cum toto Orbe communicaret, communicaret quoque cum Africa: sed ex dictis non communicat; ergo per hoc ipsum etc.

§. 337. R. dist: min: Sed ex dictis non communicat, idest non communicat cum Haereticis, conc: nullam omnino communionem habet, nego min:, et consm. Est in promptu Augustinus, qui more suo et hanc funditus evertit difficultatem; inquit enim cit: in loco: « Orientem non communicare paleis ab area Domini separatis, sed communicare frumentis, idest Catholicis Africae, et Africam in istis Orienti; subdens inde, ubique est illa Ecclesia, de qua exierunt, qui

esse ubique minime potuerunt ». Luce clarius adeoque affulget cum quibus nostra Ecclesia non communicat, non communicat nempe cum Haereticis, qui erroneam sibi doctrinam adoptantes, ideo extra Ecclesiam sunt, et nisi resipiscant, salutem assequi nullatenus possunt. Ast ex dictis superius, cum extra omnem dubii aleam sit positum, ubique Terrarum esse Catholicos, id plenissime suadet, Ecclesiam Romanam cum toto Orbe communione conjugi, quod nostra praetendebat thesis; adeoque etc.

PROPOSITIO VI.

Sola Romana Ecclesia est Apostolica.

§. 338. Probatur. Illa sola Ecclesia dici debet Apostolica, quae ab Apostolis est fundata, et propagata; Apostolicam profitetur doctrinam, atque ab Apostolorum tempore semper legitimos habuit Pastores, et Episcopos: Atqui talis est Ecclesia Romana; ea enim ab Apostolis a Domino electis, et per universum mundum missis, fundata fuit (§. 288. et seq.): Doctrinam quam ab Apostolis sive scripto, sive Traditione accepit, profitetur, et continuam, nec unquam interruptam habet Pastorum legitimorum seriem a S. Petro usque ad Summum Pontificem Gregorium XVI. modo regnantem. *Numerate*, revera, dicam, cum S. Augustino (in Psal. c. p. Donati), *Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; et in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte.* Ergo etc.

§. 339. At Ecclesiae aliae Haereticorum etc.? Apostolicæ utique non sunt. Eae siquidem non ab Apostolis, sed ab Ario, Sebellio, Marcione, Macedonio etc., Luthero, Calvino etc. fundatae fuerunt, nec proinde Apostolicam servant Doctrinam; neque ab Apostolis non interruptam Pastorum successionem habent; ergo etc.

§. 340. *Dices*. Ecclesia Romana Apostolica dici nequit. Nam non amplius in ea existit legitimorum Pontificum, et Episcoporum successio. Pontifices namque eliguntur a Cardinalibus, qui non sunt institutionis Divinæ; et Episcopi eliguntur a Regibus; Igitur Romana societas non est vera Christi Ecclesia.

§. 341. R. Esto Pontifices Romani a Cardinalibus, et Episcopi a Regibus eligantur, nihil legitimam eorum missionem laedit; nam alia est electio, alia est ordinatio, quae dat missionem. Eliguntur quidem a Cardinalibus Pontifices, eliguntur a Regibus Episcopi, at ab Episcopis qui juris Divini sunt, ordinantur, et ab ipsis missionem recipiunt; Adeoque etc.

CONCLUSIO.

Sola Romana Catholica societas est vera Christi Ecclesia.

§. 342. Prob. Ea sola societas vera Christi Ecclesia dici debet, cui omnes veræ Ecclesiæ notæ conveniunt; Atqui soli Romanæ Ecclesiæ notæ hujusmodi conveniunt, nam ipsa sola est Una (§. 293.), Sancta (§. 309.) Catholica (§. 326.); atque Apostolica (§. 338.); ergo etc.

§. 342. *Coroll.* Cum ergo sola Romana Ecclesia sit vera; cumque nonnisi qui sunt de Ecclesia vera Christi, salutem aeternam consequi possint, patet extra omnem spem salutis obtinendae reperiri, qui ad Ecclesiam Catholicam Romanam non pertinent, suntque extra illam. Apposite S. Augustinus (Enchir:): *Qui præter illam, idest Ecclesiam, est; nec cum Deo est .... ipsa namque proprie Spiritum Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata.*

CAPUT III.

De veræ Ecclesiæ proprietatibus.

§. 343. *Animad*: Tres potissimum a Theologis assignari solent verae Ecclesiae proprietates; 1. nempe *visibilitas*; 2. *indefectibilitas*, et 3. *infallibilitas*. Prima consistit in hoc, quod Ecclesia non solum intuentium oculis pateat; sed quod etiam inter omnes alias societates, eminenti quadam constanti, et singulari claritate per totum Orbem splendida semper et conspicua fuerit. 2. Quod semper, et usque ad consumationem saeculi sit duratura; et 3. Quod in rebus Fidei et morum falli, aut fallere nequeat. Circa quod

Diversæ sunt Auctorum sententiæ.

§. 344. Omnes illi Haeretici, qui volunt Ecclesiam esse Coetum aut Sanctorum, aut justorum, aut praedestinatorum, consequenter volunt eam invisibilem. Ita de facto expressis verbis docuit Lutherus, ita Calvinus. *Quis* namque, inquit Lutehrus, *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, et solum credatur, sicut dicitur: Credo Ecclesiam Sanctam.* Calvinus vero erroris accusat quotquot, Ecclesiam, oculis corporeis visibilem, agnoscunt; ait siquidem: *Sed non parum a vero aberrant, dum Ecclesiam non agnoscunt; nisi quam præsenti oculo cernunt.* Quoad alias vero Ecclesiae proprietates, admittunt ipsi Ecclesiam, relate ad e. m partem, quam invisibilem dicunt, indefectibilem, relate vero ad nostram Ecclesiam, quam nos visibilem tuemur, non solum defectibilem asserunt, sed jam defecisse tenent: et consequenter, illam in definiendis Fidei, et morum controversiis infallibilem esse negant. Verum contra eos stant Catholici omnes.

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia fuit semper, et est absolute visibilis.

§. 345. Probatur I. ex figuris veteris Testamenti. Vera Christi Ecclesia in Scripturis, juxta Sanctorum Patrum interpretationem, modo comparatur monti, modo Dei Tabernaculo, modo Civitati; Atqui haec omnia visibilia sunt, et oculis omnium patentia; Ergo etc. Probatur min. Isaias spiritu agnoscens Ecclesiam Novæ Legis, ita vaticinatus est (Cap: II. v. 2.): *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes;* Ergo sicut mons super omnes montes elevatus, facilius, et clarius conspicitur, et visibilis est, ita et Ecclesia Christi. Deinde Regius Psaltes, quasi oculis cerneret Christi Ecclesiam, jam undique claritate fulgentem, ait (Psal: XVIII.): *In Sole posuit tabernaculum suum;* hoc est: *in manifestatione posuit Ecclesiam suam*, ut explicat Augustinus (Epist: 166.); Sicut proinde Sol cunctis visibilis est, ita et Ecclesia; Adeoque etc.

§. 346. *Prob:* II. ex Novo Testamento. Christus Apostolos alloquens, ait (Matt: V, v. 14.): *Non potest Civitas abscondi super montem posita;* Atqui per hanc Civitatem Augustinus Ecclesiam intelligit (De unit: Eccl. Cap: XVI.); Ergo Ecclesia non est occulta, sed omnibus visibilis. Deinde. Ecclesia est ovile, et sicuti Pastores jubentur pascere oves, juxta illud Salvatoris Petro (Joan: ult.): *Pasce oves meas: pasce agnos meos;* et juxta illud Petri (I. Cap: V. v. 2.) caeteris Ecclesiæ Pastoribus: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, ita et oves tenentur scire, et cognoscere Pastores, atque præceptis eorum ex animo obtemperare (Heb: XVI.), dicente Apostolo: *obe-*

dite præpositis vestris, et subjacete eis; Atqui si Ecclesia foret invisibilis, id nullo modo exequi posset; Quis namque Pastor posset cognoscere quæ sint oves pascuæ suæ? quae oves scire possent quisnam esset verus ipsarum Pastor? Ergo etc. Tandem, vult Christus, fideles Ecclesiam audire (Matt: XVIII.); Sed si Ecclesia non esset visibilis, audiri non posset; Ergo etc.

§. 347. *Prob.* III. ex antiquis Patribus. Origenes in Matthæum (Hom: XXI.) scribit « Ecclesia » plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem. » Idipsum ait Chrysostomus (Hom: IV. c. VI. Isaiæ) » Facilius est, Solem extingui, quam Ecclesiam de» leri Et jam dixerat S. Cyprianus (lib: de unit. » Eccl:). Ecclesia, luce perfusa, radios suos per or» bem terrarum spargit ». Consonant alii Patres cum S. Augustino. Ergo etc.

§. 348. *Prob.* IV. ratione Theologica. Et I. Ecclesia est cœtus, seu societas hominum viatorum, qui nempe in hoc mundo visibili commorantur, et vicissim visibiles sunt; Igitur et eorum societas visibilis est; Nam in nullum nomen Religionis, ajebat S. » Augustinus (lib: 19. c. Faustum c. 11.) seu ve» rum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi » aliquo signaculorum, rei Sacrorum visibilium con» sortio colligentur ». 2. Ecclesia est cœtus hominum eamdem Fidem profitentium; Sed Christiana Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi et quod a praedicatoribus annuntiatur est sensibile, et externum; Ergo etc: 3. In coetu isto, homines iisdem Sacramentis utuntur; atqui Sacramenta sunt signa ensibilia, et a legitimis ministris, materia, et forma sensibus subjectae perficiuntur; Ergo etc: 4. Homines in eo coetu sunt ab invicem colligati sub legitimis Pastoribus, et regimine unius supremi Pontificis Romani; Ergo et fideles, et Pastores debent invicem se cognoscere; Adeoque etc. Tandem, ex qui pr*

sionis suae, tenentur fideles aliis bonorum operum exempla praebere, proximum delinquentem corripere, et nisi fuerit emendatus Ecclesiae denuntiare; Quae omnia fieri non possent quin Ecclesia esset visibilis; Adeoque etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 349. *Objic:* 1. Quod obligamur credere, visibile non est; Fides namque est *argumentum non apparentium* (Heb. XI. v. I.); Sed obligamur Ecclesiam credere, ex Symbolo Constantinopolitano: *credo Sanctam Ecclesiam*; Ergo Ecclesia non est visibilis.

§. 350. R. conc. maj., dist. min., obligamur credere Ecclesiam, quoad omnia, nego; quoad aliqua conc. min., et nego consm. Duo in Ecclesia consideranda sunt; Primum est quod ipsa sit Coetus fidelium eamdem Fidem profitentium, eadem Sacramentorum participatione utentium sub iisdem Pastoribus, quorum Caput est Romanus Pontifex (§. 270.); secundum est, hanc Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, et quod a Spiritu Sancto regatur. Primum quia oculis cernitur, credere non obligamur, bene vero secundum, quia est prorsus invisibile. Revera in eodem Symbolo, nonne obligamur quoque unum Baptisma credere, et confiteri: *confiteor unum Baptisma*? Et tamen videtur aqua, audiuntur verba ministri dum illud confert, quomodo itaque Baptisma credimus? Quia praeter id quod oculis cernimus, credimus esse Sacramentum a Christo Domino institutum ad abluendum peccatum originale etc., quod oculis non cernitur. Ita pariter videmus Ecclesiam, et eam credimus esse veram Christi sponsam Sanctam, quod non videmus.

§. 351. *Contra.* Atqui Ecclesia etiam in primo sensu inspecta est Fidei objectum; adeoque invisibi-

lis; Ergo n. r. Probatur subsm, Ecclesia eo in sensu inspecta est Corpus Christi mysticum; Atqui Corpus Christi mysticum invisibile est; Ergo etc.

§. 352. R. Duplici sensu Ecclesia dici potest Corpus Christi mysticum, et prout nempe distinguitur ab ejus physico, et vero corpore, et prout fideles complectitur, qui per virtutes Fidei, Spei, et Charitatis invicem conjuncti, unum corpus efficiunt cum ipso, ut sunt justi. Quocumque sensu dicatur Ecclesia corpus mysticum; non inde sequitur eam esse invisibilem; Nam Ecclesia considerari posse secundum animam et secundum corpus, notum est (§. 268.); sicut ergo homo dicitur visibilis, licet quoad animam invisibilis sit, ita Ecclesia dicitur visibilis, licet, quoad animam, corpus Christi mysticum invisibile sit.

§. 353. *Contra.* Atqui Ecclesia, ut est Corpus mysticum Christi, est invisibilis; ergo n. r. Prob. subm. Apostolus ad Hebraeos scribens de Ecclesia, inquit (Cap: XII. v. 18.): *Non accessistis ad tractabilem montem etc.* Ergo si Ecclesia non est tractabilis, certe non est visibilis.

§. 354. R. dist. ant. Et laudato in loco loquitur Apostolus de Ecclesia militante, nego; de triumphante, conc. ant., et n. conm, Esto multis in locis, et tam clare quamquodmaxime, non docuisset Apostolus, Christi Ecclesiam visibilem esse, nihil adhuc objecto testimonio adversus nostram thesim obtinerent adversarii: Nam perspicuum omnino est ex immediate sequentibus ipsiusmet Pauli verbis, eum ibi loqui de Ecclesia triumphante. Sequitur enim post laudata verba: *sed accessistis ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis, Jerusalem Cœlestem.*

§. 355. *Objic*: II. Vera Ecclesia est Christi Regnum. Sed Christi Regnum est invisibile; Ergo vera Ecclesia est invisibilis. Prob: min. Apud Joannem (Cap. XVIII. v. 36.) ait Christus: *Regnum meum*

non est de hoc Mundo; Ergo Christi Regnum non est visibile, sed invisibile; Adeoque etc.

§. 356. R. admitt. Auct: in sensu explicando. Regnum meum non est de hoc mundo; scilicet non est visibile; n:, non est uti alii Regni, qui sunt in Mundo; sed longe prestantius; atque excellentius, conc: antec:, et n. consm. Cum Christus Dominus in hunc Mundum, in primo suo adventu non venisset ad Regnum temporale Israel occupandum, vel aliud aliquod mundanum Regnum ditioni suae subjugandum, sed ut sua passione, et morte, destructo Daemonis imperio, et foras ejecto huius Mundi Principe, omnia traheret ad seipsum, atque de Populo Judaico, et Gentili unum fieret ovile sub uno Pastore, unum Regnum in sanctitate, et justitia fundatum sub uno Rege; a Pilato interrogatus an esset Rex, respondit se esse Regem, at Regnum suum non esse de hoc Mundo, sed praestantius atque excellentius alio quocumque Regno, quidem non invisibile, et absconditum, sed visibile, et adeo clare spectabile, ut *Thronus* ejus, non solum esset *sicut dies Cœli*, *sed sicut Sol*, *in conspectu* ejus (Psal. 88. v. 30.): *et in Sole positum tabernaculum suum*. Hinc mittens discipulos suos ad Regnum tale sibi ex omnibus Gentibus et populis, et tribubus, et linguis comparandum, non jussit eos tacere; sed quasi tubas exaltare vocem in omnem terram, ut docerent omnes gentes Doctrinam suam, Legem, atque Religionem; ut Populos imbuerent Evangelicis præceptis, ut baptismum illis administrarent; et etiam signis evidentibus, atque prodigiis propriam a Deo missionem demonstrarent, sicque Regnum suum terrenum fundarent; quae omnia oculis cernebantur, et etiam manu contrectabantur. Adeoque falsum est, Christi Regnum, nempe Ecclesiam invisibilem esse.

§. 357. *Contra*. Atqui Christi Regnum, scilicet

Ecclesia videri nequit; Ergo n. r. Prob subm. Apud S. Lucam (Cap: XVII. v. 21.) ait Christus Pharisaeis: *Non venit Regnum Dei cum observatione, neque dicent ecce hic, aut illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est*; Ergo Regnum Dei non est visibile.

§. 358. R. admitt: aut:; disting: ejus sensum. Et laudato in loco nomine Regni Dei intelligitur Ecclesia, n. antec:; intelligitur uterque Christi adventus, conc: et n. consm. Laudato in loco loquutum fuisse Christum de utroque suo adventu, clarissime patet. Et sane; cogitabant Iudaei, sicuti quoque nunc cogitant, Regnum Dei, seu Messiae, aliquod mundanum fore Regnum, quo nempe gloriosus, et coram omnibus dominaretur, et ipsi cum eo ceteris imperarent Nationibus; sicque interrogaverunt Christum, quando hujusmodi Regnum veniret; quibus respondit Christus, Messiam venisse, et rursus venturum in die Iudicj; de primo adventu dixit: *Regnum Dei non venit cum observatione*; idest cum signis, seu pompa, et apparatu, quemadmodum a Iudaeis erat expectatum; de secundo autem adventu inquit: (ib: v. 23.): *Et dicent vobis: Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini etc*: Ceterum per Regnum Dei, vel indigitatur Dei gratia, quae inest cordibus nostris, vel ipse Christus, qui inter ipsos Iudaeos erat; et hic sensus magis accomodari videtur secundum litteralem sensum ipsius textus. Quocumque igitur modo laudata verba exponantur, numquam evincitur, Ecclesiam esse invisibilem.

§. 359. *Contra.* Atqui, quidquid sit de laudati textus interpretationibus, omnino certum est, Ecclesiam esse invisibilem; Ergo redit argum. Prob: subsm. D. Petrus (Epist: I. Cap: II. v. 5.) primos fideles alloquens ait: *Et ipsi* (videst Christo) *tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium Sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum*; Si ergo Eccle-

sia est domus spiritualis; si hostiae spirituales in ea offeruntur, proculdubio Ecclesia non est visibilis; adeoque etc:

§. 360. R. admitt: auct. distin. sensum: Et S. Petrus vocat Ecclesiam domum spiritualem, ut eam a materiali domo distinguat, conc, ut eam demonstret esse occultam, atque invisibilem n. Ergo etc. n. consm. Cum S. Petrus Christi Ecclesiam domum spiritualem appellat, hoc solum vult intelligere, Ecclesiam nempe non esse domum ex lapidibus materialibus, et lignis compactam: sed ex hominibus Deo dicatis. Duobus namque modis potest aliquid dici spirituale, secundum substantiam nempe, ut Angelus, et secundum ordinationem ad spiritum, ut cum homo (I. Cor. II. v. 15.) dicitur *spiritualis*. Atque hoc posteriori sensu S. Petrus dicit *spirituales hostias*, omnia bona opera, et Ecclesiam domum spiritualem; quia nimirum tam opera pietatis, quam fideles ipsi ordinantur ad ea, quae sunt Spiritus, non ad ea quae sunt carnis. Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Vera Christi Ecclesia usque ad finem mundi numquam erit defectura, etiam quoad partem visibilem.

§. 361. Probatur 1. ex Veteri Testamento. In Sacris Scripturis nomine Civitatis, vel foederis, vel Regni, vel Sponsae Christi Ecclesia designari solet. Atqui quoties de Christi Ecclesia sub his nominibus Scripturae loquuntur, eam in perpetuum duraturam, adeoque indefectibilem dicunt; Ergo etc. Probatur min. Apud Isaiam (Cap: LI. v. 10.) habetur: *Montes movebuntur, et Colles contremiscent, attamen misericordia mea non recedet a te; et foedus pacis meae non movebitur.* Quasi diceret: Etiamsi montes de loco suo moverentur, tamen misericordia mea non

recedet a te, et foedus pacis meae, quod tecum inii fixum, et irrevocabile futurum erit. Et alibi (Cap: LXI. v. 8.) apud eundem: *Foedus perpetuum feriam eis*: Hæc est, ait a Lapide (ib:) « Testamen» tum novum, quod Deus cum Apostolis, et Eccle» sia sanxit; ex quo fit, ut nec hujus Fides et gra» tia unquam deficere, nec Deus eam deserere pos» sit ». Et apud Psalmistam (Psal: 47. 9.): *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in aeternum.* Si ergo Ecclesia est Regnum quod in aeternum non dissipabitur; si est foedus perpetuum; *si eam Deus fundavit in aeternum, quid times*, ait S. Augustinus (ibi), *ne cadat firmamentum?* Tandem in Daniele Propheta (Cap: II. v. 44.): *legitur Suscitabit Deus Regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Et in Osee (Cap: II. v. 19.): *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Indefectibilis ergo est Ecclesia, etiam quoad partem, quae visibilis est, quia quamdiu est Christi Ecclesia semper visibilis est (§. 345.).

§. 362. Probatur II. ex Novo Testamento. Ecclesia dicitur ab Apostolo (I. ad Tim: III. v. 15.): *Columna, et firmamentum veritatis;* Atqui talis non esset, si aliquando deficeret; Ergo etc. Deinde Christus dilexit Ecclesiam, eamque sibi sponsam adquisivit sanguine proprio; jam vero inter sponsum, et sponsam vinculum est indissolubile, et perpetuum: Ergo Ecclesia etc. Præterea dedit Christus Pastores, ut Ecclesiam gubernarent: *Et ipse*, ait Apostolus ad Ephesios (Cap: IV. v. 11.), *dedit quosdam quidem Pastores, et Doctores . . . in ædificationem corporis Christi*; Atqui Pastores hujusmodi, non ad aliquod tempus, sed usque ad finem mundi perseveraturi dicuntur in regimine visibilis Ecclesiæ; sequitur enim laudato in loco Apostolus · *donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei;* Ergo etc. Tandem Chri-

stus ipse dubium omne tollit circa hanc Ecclesiæ suæ proprietatem: ait siquidem Petro (Matt: XVI. v. 18.). *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Et discipulis omnibus (ib: Cap: ult: v. 20): *Ecce ego vobiscum sum: usque ad consummationem sæculi*; Ergo Ecclesia etc.

§. 363. *Prob*: III. ex Patribus. S. Joan: Chrysostomus (Hom: de sua expuls.): » Christi Ecclesia, » ait, nihil fortius . . . Ecclesiam vincere nulla vis » poterit. Deus est Ecclesia, qui est omnibus for» tior . . . . quanti Tyranni aggressi sunt impugnare » Ecclesiam Dei? quanta tormenta, quantas cruces » adhibuerunt et nihil agere potuerunt ». Et alibi Ho(milia super mortem Osiæ) « Iactatur, ait, navis, » at non mergitur . . . A quam multis oppugnata » est Ecclesia, nec unquam tamen victa. Quot Du» ces? quot Imperatores? Augustus, Tiberius, Cajus » Claudius, Nero omnes litteris ornati, potentes tot » modis oppugnarunt recentem, ac teneram, at non » dejecerunt. Quin potius ii, qui oppugnarunt, si» lentur oblivioni traditi; illa vero oppugnata Cœlum » trascendit ». S. Hilarius (Lib: VII. de Trin. n. IV.). « Hoc inquit, Ecclesiæ proprium est, ut tunc » vincat cum læditur; tunc intelligatur, cum arguitur, » tunc obtineat cum deseritur. « S. Ambrosius (Lib: » de Salomone Cap: IV.) scribit: » Navem Ecclesiam » debemus accipere, in solo mundi istius constitu» tam . . . . . Quae etsi undarum fluctibus aut pro» cellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest susti» nere naufragium, quia in arbore ejus, idest in » Cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gu» bernator, proram Paracletus servat Spiritus etc: » Neque his dissimilia habent ceteri Patres, ex quo, sic liceat cum D. Hieronymo concludere (In Cap: VIII. Amos) « ex quo intelligimus, Ecclesiam usque

» ad finem mundi, concuti quidem persecutionibus, » sed nequaquam posse subverti » (1).

Adversariorum sophismata solvuntur.

§. 364. *Objic.* I. Ecclesia semper defecit in omni statu; Ergo et in statu Legis Evangelicæ defectura erit. Prob. maj. Ecclesia defecit in statu innocentiæ ob Adæ peccatum; In statu Legis Naturæ, quia paucissimi tunc justi inventi sunt; In statu Legis scriptæ, cum tempore Eliæ tam generalis discessio a cultu veri Dei facta fuerit, ut ipse conquestus sit, dicens: *Derelictus sum ego solus*; Ergo etc.; adeoque etc.

§. 365. R. Esto totum hoc concederetur argumentum, nihil detrimenti reciperet nostra thesis. Nam Ecclesiae nostrae a Jesu Christo super firmam petram fundatæ, indefectibilitas promissa fuit, non vero Ecclesiis, quæ præcesserunt. Sed negamus Ecclesiam illorum etiam temporum defecisse. Et primo quidem dici

(1) Quare cum Fredericus Imperator, odio in S. Ecclesiam Romanam excandescens, sibi persuadere conaretur, aliquando se, Romam Religionis Caput, et Romanorum Pontificum sedem a fundamentis, potentia sua, et armis eversurum; atque temere nimis quoque, et cum insultu id scripserit Gregorio IX., tunc Pontifici, dicens:

» Roma diu titubat variis terroribus acta.
» Corruet, et mundi desinet esse Caput.

Apposite responsum fuit:

» Niteris in cassum navem submergere Petri.
» Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Cumque Imperator repetiisset:

» Fata volunt, Stellæque docent, aviumque volatus,
» Quod Fredericus ego malleus Orbis ero.

Rescriptum sequens fuit illi missum:

» Fata volunt, Scripturæ docent, peccata loquuntur,
» Quod tibi vita brevis, mors perennis erit.

nequit, Ecclesiam tempore Adæ defecisse; nam Adam, et Eva initium Ecclesiæ erant, non vero Ecclesiam ipsam constituebant. Secundo: Pauci illi qui veri Dei cultores erant in statu Legis naturæ Ecclesiam constituebant; non ergo defecit tunc Ecclesia. Sed nec tandem, temporæ Eliæ, aut alio quovis tempore Ecclesia defecit; nam semper fuerunt justi, et amici Dei, qui Ecclesiam constituebant; quare querenti Eliæ respondit Dominus: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

§. 366. *Contra.* Atqui non obstante dicta responsione Ecclesia defecit quoad partem visibilem; Ergo etc. *Prob*: subsm. Tempore passionis, et mortis Christi, Apostoli Fidem amiserunt, ne quidem excepto Petro, pro quo Christus rogaverat ut Fides ejus non deficeret; sed Apostoli tunc temporis Ecclesiam constituebant: Ergo Ecclesia etc.

§. 367. R. Apostoli scandalum ex Christi Passione sumentes peccarunt quidem, at Fidem, si unum Thomam excipias, non amiserunt. Quod si Petrus ter Christum negando, visus sit infidelem evasisse; id verum est de Fide externa, quam timore actus, palam profiteri non est ausus, non autem de Fide interna, quam ex promissione sibi facta a Christo, nunquam amisit; Revera si hanc Fidem amisisset, non statim ad unicum Domini, tam nequiter afflicti intuitum ad pænitendum inductus fuisset.

§. 368. *Contra.* Atqui Apostoli tempore Passionis, et mortis Christi Fidem internam, et externam omnes amiserunt; Ergo n. r. Prob. min. sub. Si ita non fuisset, Christus eorum incredulitatem, atque duritiam cordis non exprobrasset; Atqui Christus post Resurrectionem suam eis simul congregatis apparens (Marci ult: v. 14.), *exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt;* Ergo etc.

§. 369. R. Christus Apostolorum incredulitatem exprobavit non quia ipsi negarent, quod antea crediderant, sed quia Fidem adhuc non habebant suae Resurrectioni, ut patet ex ipso textu. Verum est, eos de tali Resurrectione, jam antea infallibile ab ipso Domino testimonium habuisse, cum dixerat illis (Lucæ XVIII. v. 34.): *Occident eum, et tertia die resurget*; sed monet Evangelista, illos pro tunc talia non intellexisse; adeo ut etiam de Petro, et Joanne familiaribus Christi, legitur, quod (Joan: XX. v. 9.) *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Quare esto pro tunc tardi fuerint Apostoli ad credendam Christi Resurrectionem, non ideo dicendum, eos Fidem omnem amisisse, et eo vel maxime, quia misterium illud tam inauditum, tunc primum promulgabatur. Cæterum, Ecclesia Christiana tunc proprie incepit, cum Apostoli, accepto Spiritu Sancto in die Pentecostes, Nomen Christi, et Fidem Evangelicam publice annuntiarunt; Quare fuerit quæcumque, ante hoc tempus, Apostolorum incredulitas, nihil officit infallibilitati Ecclesiæ.

§. 370. *Objic*: II. Vera Christi Ecclesia etiam quando perfecte constituta erat, et per orbem diffusa, erravit; Ergo a capite arg. Probatur min. subsa. Tempore Concilii Ariminensis, Ecclesia tota a Fide defecit; scribit namque S. Hieronymus (Dial: adv. Lucif:): *Ingemuit totus Orbis, et Arianum se esse miratus est;* ergo etc.

§. 371. R. neg. ans. Falsum omnino est, totam Ecclesiam, tempore Concilii Ariminensis a Fide defecisse. Esto namque illius Concilii Patres a Fide descivisse visi sint, eo quod ambiguae formulae subscripserint, quae eo tendebat ut Nicaenam Fidei professionem labefactaret, revera tamen ita non fuit. Cum namque formula ab Arianis concinnata, et Concilii Patribus oblata, etiam in sensu Catholico interpetrari posset, nihil fraudis aut doli in ea latere arbitran-

tes, eam adprobarunt. Verum statim ac Patres se deceptos ab Haereticis fuisse agnoverunt, (qui obtenta subscriptione formulae jactitabant, Catholicos Episcopos non aliter quam ipsos sentire), mirati sunt se, praeter intentionem, et citra culpam tanquam Arianos haberi. Quare subscriptionem retractantes, *contestabantur*, ait Hieronymus (ibid.), *Corpus Domini, et quidquid in Ecclesia Sanctum est, se nihil mali in hac fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis, nec aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus, decepit nos bona de malis existimatio*; In Fide itaque non errarunt, nisi tantum materialiter; non consentiendo nempe Haeresi, sed formulae hæreticae subscribendo, quam non in Arianorum, sed in Catholicorum sensu, bona fide interpetrabantur. Caeterum, dum haec per laudatos Episcopos in praedicto Concilio agebantur, Ecclesia salva semper manebat; quippe cum Pontifice Romano firmus erat totus Clerus illius Dominii; cum S. Hilario tota Gallia; et undique erant qui veram fidem profitebantur. Quapropter falsum omnino est, tunc temporis Ecclesiam totam errasse.

§. 372. *Contra.* Atqui Ecclesia Christi erit aliquando ante finem mundi defectura; Ergo etc. Prob. min. subsa: Apostolus ad Thessalonicenses scribens ait, tempore Antichristi Ecclesiam fore defecturam; scribit namque (II. Thess: C. II.). *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati*; Ergo etc.

§. 373. R. Nomine discessionis, ibi non intelligitur omnium fidelium a Fide defectio, sed vel populorum rebellio a suis Principibus, et potissimum ab Imperio Romano: vel defectio multorum a Fide, idque ope Antichristi. Porro deficere multos a Fide, non est idem ac totam Ecclesiam deficere, alias eam a multis sæculi jam defecisse dicendum erit, cum sæpius

evenit, ut non pauci sive ob haereses, sive ob schismata a vera Fide defecerint.

§. 374. *Contra.* Atqui revera tempore Antichristi Ecclesia erit penitus defectura; Ergo n. r. Prob. subs. Christus de suo adventu in fine mundi loquens, ait (Lucæ XVIII. v. 8.): *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Atqui sine Fide Ecclesia non subsistit; Ergo si tunc non erit Fides, nec etiam Ecclesia; adeoque etc.

§. 375. R. dist. mai. Et loquitur Christus de Fide nempe non solum credulitatis, ut explicat S. Bonaventura (in hunc locum), sed et fidelitatis, et confidentiæ, concedo; solum credulitatis n. maj., et dist. min. Atqui etc. non subsistit absque Fide credulitatis, conc. absque Fide fidelitatis, et confidentiæ n. min., et cousm. Laudato in loco non loquitur Christus de Fide credulitatis, sive de virtute qua assentitur veritati a Deo revelatæ, sed de Fide perfecta, quæ nempe est quoque fidelitatis, et confidentiæ, quam qui habet, *quodcumque dixerit fiat, fiet ei* (Marci XI. v. 23.). Verum hæc Fides ad Ecclesiæ substistentiam necessaria non est, bene vero ad perfectionem. Quare esto in secundo Domini adventu vix inveniatur in terra, non ideo Ecclesia desinit esse, quia innumeri erunt, qui Fidem credulitatis habebunt. Audiatur S. Augustinus, qui paucis, rem totam conficit scribens (De Verb: Dom:): *Dicit autem hoc Dominus de fide quæ perfecta est. Ipsa namque vix invenitur in terra. Ecce plena est Ecclesia Dei, quis huc accederet si nulla esset fides? Quis non montes transferret si plena esset fides?*

PROPOSITIO III.

Vera Christi Ecclesia in iis quæ Fidei, et morum sunt definiendis infallibilis est.

§. 376. Probatur 1. ex scripturis. Et primo quidem Apostolus ad Timotheum scribens (I. Cap: III. v. 10.) vocat Ecclesiam *columnam*, *et firmamentum veritatis*. Ergo etc. Deinde Christus Ecclesiæ suæ, Apostolis, eorumque successoribus in gubernatione, et regimine animarum, peculiarem adsistentiam promisit, atque omnem doctrinam veritatis; ait siquidem (Matt: XXVIII. v. 20.): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* Et (Joan: XVI. v. 13.): *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Quibus positis, en argumentum. Illa est infallibilis, atque in definiendis rebus Fidei et morum errare non potest, in qua veritas ita residet, ut ipsa veritatem velut columna, et firmamentum substentet; quæ a Jesu Christo prima veritate fundata super firmam petram, usque ad finem mundi ejus pervigili adsistentia potitur, quæque tandem a Spiritu Sancto interius regitur, qui ei omnia suggerit, eamque docet omnem veritatem; Atqui talis est vera Ecclesia; ergo etc.

§. 377. Probatur 2. Christus Ecclesiæ Pastores alloquens, ait (Lucae X. v. 16.): *qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*; immo ab Ecclesia excludit, qui eam audire renuunt, dicens (Matt: XVIII. v. 17.): *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus;* Atqui si Ecclesia errare posset in iis, quæ Fidei sunt, et morum, definiendo falsum ut verum, vel inhonestam ut honestum, non teneremus aliquando neque Pastores, neque Ecclesiam audire; Ergo etc.

§. 378. Probatur 3. Ecclesia Christi est indefectibilis (§. 125.); Ergo est infallibilis. Probatur

consa. Ecclesia constat Fide, Spe, et Charitate interius velut anima: externa Fidei confessione, et Sacramentorum communione tamquam corpore (§. 268.); Ergo si errare posset, falsum ut verum interius credendo, et exterius proponendo, neque quoad animam, neque quoad corpus existeret; Atqui est indefectibilis; Ergo et infallibilis; adeoque etc.

PROPOSITIO IV.

Ecclesia Christi, sumta pro coetu Pastorum (§. 267.), est legitimus, atque infallibilis Controversiarum Fidei Iudex.

§. 379. *Prob.* I. ex Veteri Testamento. In Libro Deuteronomii (Cap. XVII. 16.) haec leguntur: *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore; quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille.* Ex quibus haec perspicue deducuntur. 1. Ad Ecclesiam referandas esse Controversias, praesertim circa Fidem, et mores; 2. ab Ecclesia expectandam esse justam atque rectam sententiam; 3. sententiam prolatam sequi, adamussim, subque mortis pœna in casu, quo quis non obediat. Ergo Ecclesia illius temporis erat legitimus, atque infallibilis controversiarum Fidei Iudex; Adeoque, a fortiori Ecclesia Christi etc.

§. 380. *Prob.* II. ex Novo Testamento. Apud Matth. (Cap. XXIII. v. 2.) ait Christus: *Super*

Cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi: omnia quaecumque dixerint vobis servate, et facite. Item (ib: Cap: XVIII. v. 17.): *Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus.* Et (Matt. XVIII. v. 18.) dixit Apostolis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cœlo.* Hinc ortâ controversia de legalibus, non ad Scripturam, non ad spiritum cujusque privatum, non ad Principes seculares recursus fuit habitus, sed ad Apostolos; et *Apostoli et Seniores convenerunt videre de verbo hoc* (Actor: XV. v. 6.), et discussa controversia, Apostoli auctoritative ut judices decreverunt, dicentes (ibi v. 28.): *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria.* Et ita semper postea observatum est in Ecclesia.

§. 381. *Prob*: III. ratione theologica. Ut quis dicatur, et sit controversiarum Fidei judex, plures habere debet dotes; 1. nempe debet esse visibilis; 2. semper vivens, atque indeficiens; 3. ut habeat auctoritatem atque jurisdictionem; 4. ut sit infallibilis in judicando; et 5. tandem ut omnes discutere, atque terminare possit de Fide controversias; Atqui talis est Ecclesia Romana; Ipsa enim est 1. visibilis et vivens (§. 345.); 2. est indefectibilis (§. 361.); 3. habet juris dictionem judicandi sibi a Christo communicatam (§. 378.); Quarto infallibilis est in judicando sive de rebus ad Fidem, sive ad mores pertinentibus (§. 375.); 5. tandem sufficiens est ad controversias omnes terminandas, etiam illas, quæ sunt in causa propria, quia cum sit Sancta (§. 309.) judicare nequit ex pravo fine, vel inordinato affectu; Ergo etc.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 382. *Objic*: I. Ille ut Iudex infallibilis controversiarum Fidei habendus est, qui talis a Christo habitus est; Atqui Sacra Scriptura talis a Christo Domino habita est; Ergo falsa Propositio. Prob: min: Orta controversia inter Christum et Hebræos de sua divinitate, Christus ad Scripturam detulit controversiam dirimendam, dicens Hebraeis (Joan: V. v. 39.): *Scrutamini Scripturas* etc: Ergo etc.

§. 383. R. dist: Orta etc: ad Scripturam detulit, ut ab illa tanquam judice controversia dirimeretur, n. antec: , ut ab illa tamquam *regula*, et teste dirigerentur ad cognoscendam ejus divinitatem, conc: antec. ; Ergo etc: n. consm. (vid: §. 214.).

§. 384. *Contra.* Atqui Christus controversiam de sua Divinitate ad Scripturam, tamquam ad judicem detulit, ut praeter ipsam, non sint alii judices agnoscendi: Ergo n. r. Prob: subsm. Christus laudato in loco (v. 34.) expresse ait: *Ego non ab homine testimonium accipio*; Ergo præter Sacram Scripturam non sunt alii judices agnoscendi.

§. 385. R. admit: auct: , dist: sensum. *Ego* etc: non accipio, idest non requiro, non est mihi neccessarium, conc., non accipio, idest non admitto, n.; Ergo etc. n. consm. Esto itaque Christus non requirat, neque indigeat hominis testimonio, quia potest aliunde ipsius veritas constare; non inde tamen sequitur, ipsum aliud testimonium non admittere. Ea propter priori sensu intelligendum est illud ejusdem Joannis (Ep: I. C. V. v. 9.) : *Testimonium Dei majus est;* perinde ac si diceret, eum non indigere alio testimonio, dum habet testimonium Patris; posteriori autem intelligenda sunt illa alia : *Alius est, qui testimonium perhibet*. Et (Cap: XV. v. 27.), ubi de Apostolis, ait: *Vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis.* Res ergo est cæteroquin in-

dubia; quod etsi Christus testimonium Dei habens, alio testimonio non indigeat, admittit tamen, et per consequens non urget adductum argumentum.

§. 386. *Contra*. Atqui ita Christus ab hominibus testimonium non accipit, ut præter unam Scripturam, neque admittat testimonium hujusmodi; restat ergo argumentum. Prob. subsm. In rebus Fidei, cujusmodi erat Christi Divinitas, accipiendum est testimonium illud, quod est prorsus infallibile, relicto eo quod est fallibile; et illud admittendum, istud autem respuendnm; sed testimonium Scripturæ, cum sit verbum Dei, quod errare non potest, est infallibile, fallibile autem testimonium hominum, quia mendaces sunt, et errori obnoxii per illud (Rom: III. v. 4.): *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*; Ergo tenendum testimonium Scripturæ, et non testimonium hominum: adeoque etc.

§. 387. R. dist: alteram min: partem: fallibile autem etc., fallibile est testimonium illorum hominum, qui sunt filii Adam, et obnoxii naturae corruptionibus, conc: fallibile est testimonium etiam illorum, qui à Spiritu Sancto diriguntur, nego min., et consm. Ex data distinctione liquet, quod etsi proni sint ad mendacium et falsitatem homines ii, qui puri sunt filii Adae, non sic autem ii, qui electi sunt, et praedestinati ad Ecclesiam gubernandam, qui specialem habent Spiritus Sancti assistentiam; unde Christus Apostolis dixit (Joan: XVI. v. 13.): *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; Ac ubi omnis veritas, ibi certe nullum mendacium. Et quod reapse Ecclesia etiam inspecta pro collectione hominum fallibilium, propter perpetuam Spiritus Sancti assistentiam, nec hactenus erraverit, nec unquam errare poterit, clarissime quidem constat: est enim ipsa ædificata supra firmam petram, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: est columna, et firmamentum veritatis; Iaspis, et propugnaculum ejus; est uno

verbo infallibilis judex, quem quaerimus. Atque adeo si ita, prout exposuimus, res se habet, palma est nobis ab adversariis cedenda.

§. 388. *Objic:* II. De dubiis Fidei, et de vero Scripturae sensu quis sufficienter instruitur per Spiritum privatum, et ita recurrendum est ad testimonium internum; Ergo Spiritus privatus controversiarum Fidei judex est dicendus, et non Ecclesia; Adeoque falsa etc. Prob. antec. Quilibet fidelis sufficienter instruitur a Deo per privatum Spiritum; seu internum Spiritus Sancti afflatum, juxta illud (Epist: 1. Ioannis cap: 2. v. 27.): *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est . . . . et sicut vos docuit, manete in eo*; Ergo de dubiis etc.

§. 389. R. dist: antec: cum objecto Ioannis testimonio: Et ibi Ioannes excludit Ecclesiae magisterium, nego; excludit Pseudoprophetas, quorum multi exierant in Mundum, conc: min:, et nego consm. Si enim, inquit Augustinus (Tract: III. in dictam Epist.) « si unctio ejus docet nos de omnibus, ut » quid talem Epistolam fecisti, o Joannes; quid » illos tu docebas, quid instruebas, quid ædifica- » bas? Unctio ergo interna Spiritus Sancti non excludit externum Magisterium, sed mentem juvat, ut quae foris dicuntur, formentur in corde; sicut internus vigor praestat, ut arbor poma ferat, et opus etiam, ut agricola extrinsecus adhibeat diligenter culturam: ita ad rem nostram, quemadmodum concludit mox laudatus Augustinus. Verum nos pressius loquentes, dicimus, quod si sensus illius testimonii esset, quod unctio interna nos instruat de omnibus, et nullo exterius instruente Magistro indigeremus, ad quid ipse Ioannes ea prolixa Epistola instrueret, manendum nos in eadem Fide, quam ab ipso audivimus, perseverandum in accepta doctrina de Christi Nativitate, quam tunc temporis Cerinthus, atque Basilides ne-

gabant? ad quid Deus ipse in sua Ecclesia posuit Doctores, atque Pastores, qui gregem sibi concreditum pascerent, atque instruerent? Consequens est ergo quod etsi Deus per internam unctionem mentem nostram illuminet, et per suam gratiam nos ad credendum adjuvet, non idcircò proinde exludit Ecclesiae magisterium.

§. 390. *Contra.* Atqui eo in loco externum Ecclesiae magisterium excludit Ioannes; Ergo n. r. Prob. subs. Ubi necessarium non est externum Ecclesiae magisterium, sed satis est internus Spiritus Sancti afflatus, ibi magisterium illud excluditur: ita est per Ioannem, qui (Cap: XVI. v. 13.) in Evangelio testatur, necessarium non esse externum Ecclesiae magisterium, quia Spiritus Sanctus per ipsum docet nos omnem veritatem; Ergo eo in loco etc.

§. 391. R. neg: min:; et simul exponendo laudati Evangelistae aucthoritatem. Nos haud inficiamur, immo libenter concedimus, Spiritum Sanctum docere Ecclesiam omnem veritatem, ne unquam erret, quod autem inficiamur est, eumdem Spiritum Sanctum docere unumquemque fidelem in omnem veritatem, ita ut non erret, etiamsi non sequatur Romanum Pontificem, qui est regula viva Fidei, quique controversias de Fide, et moribus, Spiritu Sancto assistente, infallibiliter decidit. Hinc qui ab ejus sensu procul est, et proprie recedit, falso sibi persuadens a Spiritu Sancto se agi, et moveri, criminaliter errat, regulam vivam, et visibilem non complectens. Non ergo statuit Ioannes necessarium non esse externum Ecclesiae magisterium; nec per consequens illud idem magisterium excludit.

§. 392. *Contra.* Atqui Ioannes ita necessarium non esse statuit externum Ecclesiae magisterium, ut istud omnino excludat; restat Ergo argumentum. Prob. subsm. Qui audiunt vocem Christi, et a Christo interne docentur, necesse non habent, ut aliquis alius

eos exterius instruat; sed fideles omnes per Ioannem, vocem Christi audiunt, et a Christo interne docentur; quippe inquit (C. X. v. 27.): *Oves meae vocem meam audiunt*; Ergo necesse non habent etc.; adeoque etc.

§. 393. R. neg: maj, et ad solvendam propositam objectionem perpendere oportet quae sunt oves Christi: eae sane sunt, quas Christus Petro commisit (Ioannis XXI. v. 17.): *Pasce oves meas.* Sed quomodo oves istae vocem Christi audiunt? Si audiant ordine ab ipso constituto, videlicet per ejus Vicarium Romanum Pontificem, quod ipse Christus explicat (Cap: X. Lucae v. 16.): *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Et proinde oves Christi sunt Catholici audientes vocem Romani Pontificis, et tunc à Christo interne docentur; Etherodoxi autem non oves, sed Diaboli sunt pecudes, quia Ecclesiam non audiunt, sed ejus testimonium pessumdant. Quare concludendum, evinci ex Ioannis testimoniis non posse, quod necessarium non sit externum Ecclesiae magisterium; sicuti nec posse evinci quod Spiritus privatus sit controversiarum Fidei judex; consequenter etc.

CAPUT IV.

De verae Ecclesiae membris.

§. 394. *Animad.* Cum Ecclesia Catholica sit corpus, ut pluries dictum est, habet proinde et membra; cumque homines qui sunt in Terra, non ejusdem moris sint, ejusdemque professionis, et Fidei, videndum propterea quinam sint illi, qui ad veram Christi Ecclesiam pertineant, sintque illius membra. De qua re, non una est

Catholicorum, et Hæreticorum sententia.

§. 395. Praeter Lutheranos, Calvinistas, aliosque, qui solos praedestinatos, aut justos dicebant esse membra Ecclesiae, non defuerunt alii, qui absurdiora docere sunt ausi. Inter quos Jurius, qui existimat, Ecclesiam Universalem omnes Haereticorum Sectas sinu suo complecti, modo in Articulis Fidei fundamentalibus non errent. Verum non ita sentiunt Auctores Catholici. Quorum Doctrina, ut clarius, quo fieri possit, explicetur, sequentes praemittuntur notiones.

§. 396. *Def*: I. *Haeresis est error intellectus cum pertinacia voluntatis contra aliquem Fidei articulum in eo, qui Fidem recepit.*

§. 397. *Coroll.* » Qui ergo (S. Aug: lib: XVIII. » de Civ. Dei cap: 51.) in Ecclesia Christi morbi- » dum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti, ut » sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, » suaque pestifera, et mortifera dogmata emendare » nolunt, sed defendere persistunt, Haeretici fiunt. Contra vero, ait idem S. Doctor (Ferrar. v. Haeresis » n. 3.) « Qui sententiam suam quamvis falsam, atque » perversam nulla pertinaci animositate defendunt, » praesertim quam non audacia suae praesumptionis » pepererunt, sed a seductis, atque in errorem lapsis » parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solli- » citudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, » nequaquam sunt inter Haereticos deputandi ».

§. 398. *Schol:* Haeresis alia dicitur *formalis*, alia *materialis*. Prior est illa superius descripta (§. 396.); secunda est, cum quis aliquid contra Fidem exterius profert, quin interne illi assentiatur. Haereticus item duplex distinguitur *publicus* scilicet, seu *externus*, et *internus*, sive *occultus*. Publicus si errorem, quem in animo habet, signis quoque sensibilibus, exterius prodit; internus vero si nullo exteriori signo manifestat. Et quidem Haereticus di-

citur manifestus per se, si Haeresim quam interius conceperat, externe, et pluribus audientibus, et videntibus profert; occultus vero *per accidens*, si externo *quidem* signo ad Haeresim manifestandam idoneo usus est, nemine tamen audiente, vel vidente.

§. 399. *Def.* 2. *Schisma*, hic, *est voluntaria separatio ab unitate Ecclesiæ.*

§. 400. *Coroll.* I. Schismatici ergo ordinarie dicuntur illi, qui unitatem Ecclesiae voluntarie scindunt, et a reliquis fidelibus, eorumque capite Romano Pontifice se separant. Adeoque

§. 401. *Coroll:* 2. In hoc Schismatici ab Haereticis differunt, quod Schimaticos, ait S. Augustinus (quæst: Evang: sec: Matt:), non fides diversa fa» ciat, sed communionis disrupta societas; Haereticos » vero constituat pravus error contra aliquem Fidei articulum (§. 396.).

§. 402. *Schol:* Schisma duplex esse potest, *purum* nempe, et *mixtum*. Purum est, quando cum nulla Haeresi est conjuctum; mixtum vero quando cum Haeresi aliqua conjungitur. Verum, ordinarie, et practice loquendo, vix unquam nostris hisce temporibus datur amplius Schisma *purum*, sive absque haeresi. Esto namque in suo principio Schisma non habeat perversum Fidei Dogma conjunctum, nullum tamen Schisma invenire est sine Haeresi; id quod S. Hieronymus jam observaverat (C. inter. Haers: 26. Caus: 4. 9. 4.); ubi postquam distinctionem adsignaverat inter Haeresim, et Schisma, subjungit: » Cete» rum nullum Schisma non aliquam sibi confingit » Haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur «.

§. 403. *Def.* 3. *Apostasia*, hic, *est voluntarius recessus hominis baptizati a tota fide.*

§. 404. *Coroll:* In hoc ergo Apostatae ab Haereticis differunt, quod illi in toto Evangelium renegant, Sanctamque Matrem Romanam Ecclesiam tota-

liter derelinquunt; isti vero in aliquod Fidei dogma ei adversantur (§. 396.).

§. 405. *Def. 4. Paganismus est vana Religio, qua vera Catholica Jesu Christi fides rejicitur; cui Atheismus, et Maumethismus reducuntur.*

§. 406. *Def. 5. Iudaismus, est religio, in qua solum Vetus Testamentam admittitur, Novum negatur; et Messiam, non advenisse, sed venturum creditur.*

§. 407. *Def. 6. Excommunicati*, hic, *illi dicuntur, qui fidelium communione, atque Sacramentorum sive activa, sive passiva participatione orbati, extra Ecclesiam propelluntur.*

§. 408. *Def. 7. Cathecumeni tandem, dicuntur illi, qui baptismum quaerentes, in Christiana fide erudiuntur, ut postea baptizentur.*

PROPOSITIO I.

Publici Hæretici non sunt membra Ecclesiæ.

§. 409. Probatur. 1. Illi non sunt membra Ecclesiae, qui neque ad ejus animam, neque ad ejus corpus pertinent; Atqui tales sunt publici Hæretici; ergo non sunt membra Ecclesiæ. Probatur min. Hæretici publici, et manifesti illi dicuntur (§. 398.), qui aperte, et pertinaciter aut dogma fidei oppugnant, aut doctrinam profitentur ab Ecclesia damnatam ut hæreticam; Atqui anima Ecclesiae est Fides interior cum Spe, et Charitate conjuncta; corpus vero est Fidei externa professio, et Sacramentorum susceptio sub eodem legitimo Pastore Romano Pontefice (§. 268. 270.); Ergo si Haeretici Fide interius destituuntur, et exterius doctrinam a Fide Ecclesiae alienam profitentur, profecto neque ad animam, neque ad Corpus Ecclesiae pertinent. Deinde illi actu in Ecclesia non sunt, qui de Ecclesia fuisse dicuntur, atque ex ea exiisse; At-

qui tales sunt Haeretici; de illis enim ait S. Joannes (I. Joa: C. II: v. 19.): *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*; Ergo etc. Tandem, illi membra Ecclesiae non sunt, quorum consortium devitare tenemur; Atqui hujusmodi sunt Haeretici, de illis enim scribens Apostolus ad Titum (Cap: III. v. 10.) ait: *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita; sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*; Ergo etc.

§. 410. *Prob:* II. Romanorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorumque definitionibus. Eugenius IV. in Decreto super concordiam Iacobitarum, edito in Concilio Florentino, haec habet: *Quoscumque ergo adversa, et contraria sentientes damnat, reprobat, et anathematizat* (Sancta Ecclesia, Romana), *et a Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse denunciat.* In Concilio IV. Lateranensi sub Innocentio III. in Capite *Firmiter*, definitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia*; Cum ergo Haeresis sit species infidelitatis, clare patet, Haereticos non esse in Ecclesia: Ulterius, in Concilio Nicaeno I. legitur, quod Catholica, et Apostolica Ecclesia anathematizat eus, qui docent, Verbum non esse consubstantiale Patri; Sed anathematizare idem est ac excludere a communione fidelium; Ergo qui per Haeresim anathematizantur, non sunt amplius de Ecclesia. Tandem Constantinopolitanum Concilium I. statuit recipiendos esse, qui ab Haeresi ad Ecclesiam redeunt; Sed si Haeretici essent de Ecclesia non dicerentur ad Ecclesiam redire; Ergo etc.

§. 411. *Prob.* III. ex SS. Patrum traditione. Concordes hac de re habemus Patres, qui omnes unanimiter idipsum propugnant, quod a nobis statutum fuit: ita sane Irenaeus, Tertullianus, Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Hylarius, et alii passim; quos inter unus audiatur Augustinus, qui (Lib: de unitate Ecclesiae Cap. 19.); cuidam Haeretico asserenti, se

propter Baptismum esse in corpore Christi; idest in Ecclesia, respondit: « Melius diceret de corpore Domini, hoc est de Ecclesia; nam et vos Baptismum » quod habetis de corpore Domini esse dicimus, hoc » est de Ecclesia; quamvis in ea ipsi non sitis, sicuti » omnes, qui non aedificant super petram, sed super » arenam ». Ergo Ecclesiae membra non sunt Haeretici, cum per adductum testimonium in Ecclesia ipsi non sint; adeoque etc.

§. 412. *Prob*: tandem IV. Ratione theologica: qui non consentiunt in externa Fidei professione, qui Sacramenta non suscipiunt, quique debitam legitimis Pastoribus subjectionem non profitentur, ii extra omnem dubitationis aleam ad Ecclesiam non pertinent: ejusmodi sunt publici Haeretici, ut omnibus est apprime perspicuum; Ergo publici Haeretici ad Ecclesiam non pertinent. Eo vel maxime, quia docuit Christus in Evangelio, quod qui Ecclesiam non audiunt, habendi sunt a nobis tamquam Ethnici, qui extra Ecclesiam sunt positi; cum igitur Hæretici Ecclesiam non audiant, profecto extra Ecclesiam et ipsi sunt; consequenter etc.

Adversariorum oppositiones solvuntur.

§. 413. *Objic*. I. Communis SS. Patrum sententia est, publicos Hæreticos in Ecclesia esse; igitur ita est sentiendum; adeoque etc. Prob. antec: Hieronymus (in Dialogo adversus Luciferianos); Cyprianus (Epist: 51;), et Augustinus (Lib: IV. C. Donatistas Cap: 12.), exponentes illud Apostoli (II. ad. Timot: 2.), ubi comparat Ecclesiam magnae domui, in qua sunt vasa aurea, et argentea, lignea, et fictilia, intelligunt justos, peccatores, et Haereticos; Ergo publici Haeretici ad Ecclesiam pertinent; Adeoque etc.

§. 414. R. ad argumentum, explicando adductorum PP. mentem: Unde quod ad Hieronymum attinet

non ea est ipsius sententia, ut per vasa fictilia in magna domo existentia Haereticos intelligat, sed tantum peccatores; qua de causa praestat audire, quid ipse dicat super Psal: 133., ubi sic ait: *Ibi Ecclesia, ubi fides;* ea propter ad Ecclesiam non pertinent Haeretici, quia fideles non sunt. Eadem quoque est S. Cypriani mens, solos peccatores per vasa lignea, et fictilia intelligens, eo vel maxime, quia (in cit: Epist:) de Novatiano Haeretico apertissime statuit, ipsum extra Ecclesiam esse, ejusque asseclas valide confutat asserentes, Ecclesiam ex solis justis constare: unde tanto verior nostra videtur esse responsio, quanto vel minimum intuebitur laudatum Doctorem in eam irruisse sententiam, ut Haereticis denegaret potestatem valide baptizandi. Tandem quod ad Augustinum spectat, admiratus ipse, quod cum dicat Apostolus, a nobis vitandos Hæreticos, postea subjungat, eos in una magna domo fuisse, haec postmodum pro more subnectit (Lib: 3. de Baptismo Cap. 19.), dicens: « Credo, quod nondum foras » exierant. Aut si jam exierant, quomodo eos dicit » in eadem magna domo cum vasis honorabilibus? » nisi forte propter ipsaSacramenta, quae separatis » etiam Haereticorum conventiculis, non mutata » sunt; ad unam magnam domum dicit omnes, sed » diversis meritis pertinere, alios in honorem, alios » in contumeliam » Ita igitur exposita adductorum PP. mente, nisi caecus non videt, Patres eosdem contra adversarios potius, quam pro ipsis stare.

§. 415. *Contra.* Atqui Sanctorum Patrum mens fuit, Haereticos in Ecclesia esse; restat Ergo argumentum. Prob. sub: Et ne in longum sermo protrahatur, pro omnibus audiatur solus laudatus Hieronymus. Sane ipse (In eodem Dialogo), haec habet de Christi Ecclesia: « Arca Noë Ecclesiae typus » fuit . . . . ut in illa omnium animalium genera, » et in hac universarum et gentium, et morum sunt » homines: ut ibi pardus, et haedi, lupus, et agni;

» et hic justi, et peccatores, idest vasa aurea, et » argentea cum ligneis, et fictilibus commorantur. » Ex quibus Hieronymi verbis hoc efformatur argumentum: dicit laudatus Doctor, lupos esse in Ecclesia, quos haereticos esse nemo inficiatur; Ergo etc.

§. 416. R. dist:, antec: dicitur etc. esse in Ecclesia quoad jus, et potestatem baptizandi, con:; quoad unionem, aut internam, aut externam, nego antec. et consm. Esto Hieronymus in suo contra Luciferianos Dialogo, luporum nomine Haereticos indigitet, nullum tamen inde accedit praesidium falso adversariorum systemati. Siquidem Haeretici illi, contra quos disputabat Hieronymus, rejiciebant Baptisma ab Haereticis collatum, minime autem illud, quod ab improbis conferebatur ministris; qua de causa sic eos praemebat, dicens: vos dicitis, peccatores esse in Ecclesia, quia filios per Baptisma pariunt esto Spiritum Sanctum non habeant; ergo eo ipso praecise, esto Spiritum Sanctum non habeant Haeretici, sunt tamen in Ecclesia quoad jus Baptizandi tantum, non autem quoad unionem aut internam, aut externam, quia neque Fidem, neque charitatem habent, ut omnibus innotescit.

§. 417. *Contra.* Atque si per Hieronymum Hæretici in Ecclesia sunt quoad jus Baptizandi, sunt etiam quoad unionem in eadem Ecclesia; igitur a capite argumentum. Prob. illatum: Extra Christi Ecclesiam salus haberi non potest, quae unice per Sacramenta consequitur; sed multi ex hæreticis salutem consequuntur, quia vera habent Sacramenta; ergo Hæretici extra unionem Ecclesiæ non sunt; adeoque si per Hieronymum etc.

§. 418. R. dist: min: Sed multi etc., parvuli videlicet, et adulti illi, qui simplici corde veritatem quaerunt, parati quidem ei adhaerere, cum primum eam cognoverint, conc:; illi etiam, qui Haeresi ministrorum consentiunt, nego min:, et consm. Sacramenta illa, quæ etiam ab Haereticorum manu ministrantur,

Ecclesiae sunt, ex qua discedentes Haeretici, eorum tantum usum retinuerunt, quia non ipsi sunt, qui Baptizant, sed Christus, qui per eos baptizat: Inde tamen non sequitur, Haereticos esse in Ecclesia, aut penes ipsos posse salutem consequi; etenim non secus ac ad Imperatoris exercitum non pertinent, qui ab exercitu tranfuga secus adsportavit vexillum; ita et Haeretici ad Ecclasiam non pertinent, esto secum adsportaverint Sacramentorum vexillum. Salus ergo consequitur utique a quibusdam Haereticis, sed tantum a parvulis, ut diximus rite baptizatis, qui per Christi merita salvantur, et ab adultis illis, qui in voto vellent Baptisma suscipere; reliqui vos nullam consequuntur Sacramentorum gratiam, nullamque possunt sperare salutem; unde corruit universa adversariorum moles; ac proinde etc.

§. 419. *Objic.* II. Ratio suadet in Ecclesia esse Hæreticos; ita ergo tenendum; adeoque etc. Prob. antec. Ratio suadet, quod ii in Ecclesia sunt, qui impressum habent in anima baptismi characterem, ut possint secerni ab aliis, qui characterem hujusmodi non habent; atqui characterem illum habent etiam Haeretici; ergo ratio suadet etc.

§. 420. R. neg: maj: Quamvis baptismi character semel impressus in anima indelebilis sit, sitque baptismus ipse velut janua, per quam baptizatus quilibet Ecclesiam ingreditur, non inde tamen sequitur, Haereticos, baptismi characterem adhuc retinentes, ad Ecclesiam pertinere; alias sequeretur, damnatos etiam membra esse Ecclesiae, quia in ipsis subsistit adhuc Baptismi character; quod quidem nemo sui compos, ut opinor, audebit dicere. Ea propter liberrime repetam, quod sicut miles fugiens ab exercitu cum Imperatoris vexillo, ad exercitum non pertinet, ita Haereticus confugiens ab Ecclesia cum Baptismatis vexillo per quod sub Christo duce militare credebatur, ad eamdem non pertinet Ecclesiam; adeoque etc.

§. 421. *Contra.* Atqui Haeretici per Baptismi characterem, quem habent, vere in Ecclesia sunt, ergo n. r. Prob. subm. S. Augustinus (Lib: I. de Baptismo contra Donat: Cap: X.) respondens aliquibus a se inquirentibus: *Utrum Baptismus in parte Donati generet filios?* ait. « Quasi vero ex hoc » generet unde separata est, et non ex hoc unde » conjuncta est. Separata est enim a vinculo charita- » tis, et pacis, sed adjuncta est in uno Baptismate ». Ex mente igitur Augustini, Ecclesia Donatistarum, quae haeretica erat, per Baptisma erat conjuncta cum Ecclesia Romana. Donatistae proinde Haeretici erant de Ecclesia. Adeoque etc.

§. 422. R. admitt. auct: S. Augustini, distinguendo illius sensum: Et laudatis verbis vult S. Augustinus ostendere, ratione veri Baptismatis, laudatos Haereticos convenire cum Ecclesia Romana, atque in hoc conjungi, conc:; vult dictos Haereticos esse vere, et realiter in Ecclesia, n. antec: Ergo etc: n. utramque consm. Cum S. Augustinus innumeris in locis manifestissime doceat, Haereticos extra Ecclesiam esse, atque extra omnem salutis spem, dicens laudato in loco Ecclesiam Donatistarum per Baptisma esse cum Ecclesia Romana, hoc solum vult innuere, utramque Ecclesiam in Baptismate consentire, quia utriusque verum erat Baptisma; non autem quod Haeretici sint de Ecclesia. Ut namque quis sit de Ecclesia, non sufficit solum quod habeat verum Baptisma, aut quod credat aliquas Fidei veritates, veluti, quod Deus sit unicus, vel quod Jesus Christus sit vere Filius Dei, sed ut cum Romana Ecclesia in omnibus Fidei Dogmatibus, toto corde, et ore conveniat. En ejus verba (Lib: de unit: Eccl: C. 4.): « » Quicumque credunt quidem, quod Christus Je- » sus . . in carne venerit . . . . . . sed tamen ab » ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, » ut eorum communio nec sit cum toto, quocumque

» diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniun-
» tur, manifestum est, eos non esse in Ecclesia Ca-
» tholica »; Adeoque etc.

§. 423. *Contra.* Atqui Haeretici, esto in omnibus Fidei dogmatibus non conveniant cum Ecclesia, adhuc tamen in Ecclesia vera dicendi sunt; Ergo n. r. Prob: subm Ecclesia non punit, nec anathemate percutit, nisi eos qui sibi per susceptum Baptisma subditi sunt; Atqui Haeretici anathemate percutiuntur ab Ecclesia; Ergo subditi et ipsi Ecclesiae sunt; adeoque Haeretici etc.

§. 424. R. neque consum. Ea tantam de caussa Haereticos Ecclesia anathemate percutit, eosque punit ab unitate segregans, ut tandem corrigantur, et a concepto resipiscant errore; foris igitur Haeretici sunt, et per hoc ipsum puniuntur ab Ecclesia, ut possint, si velint, ad Ecclesiam redire. Res autem exemplo manifestior fiat: servus transfuga, in domo domini sui non est, quando eam reliquit, ab eaque discessit; pertinet vero ad illam, cum possit ultro redire, et maxime si paenitentia ductus, Dominum suum praecibus, lacymisque exoret, ut eum denuo ad suam admittet domum: ovis pariformiter in ovili non est, quando confugiens ab illa exivit; sed ad ovile pertinet, quia redire potest. Sic porro, et non aliter Haeretici anathemate perculsi, in Ecclesia., ut constat, non sunt, quia jam fuerunt ab unitate segregati, sed de Ecclesia sunt propter susceptum Baptisma, quia possunt ad Ecclesiam redire; atque adeo etc., et per consequens. etc.

PROPOSITIO II.

Hæretici occulti sunt membra Ecclesiæ quod corpus spectatae.

§. 425. Probatur. Hæretici occulti illi dicuntur, qui licet interius aliquod Fidei dogma rejiciunt, nullo tamen exteriori signo illud manifestant, (§. 397.), sed dissimulant errorem, et Fidem eamdem profitentur, de iisdem participant Sacramentis, ac sub legitimi Pastoris cura, et subjectione vivunt. Atqui hoc sufficit ut quis dicatur saltem de corpore Ecclesiae (§. 268.); Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Schismatici non sunt membra Ecclesiæ.

§. 426. Probatur. Vera Christi Ecclesia una est (§. 293.), et omnia ejus membra unum corpus efficiunt, cujus visibile caput est Romanus Pontifex: *Sicut enim*, aiebat Apostolus (Rom: XII. v. 4. 5.), *in uno corpore multa membra habemus. . . . . Ita multi unum corpus sumus in Christo.* Atqui Schismatici illi sunt; qui ab aliis fidelibus se separant, et a Romano Pontifice (§. 400.); ergo non sunt Ecclesiæ membra.

§. 427. *Prob.* II. ex Sanctorum Patrum traditione. Et primo Cyprianus (Epist: 69.) haec scribit « Ecclesia, quae Catholica est una est, scissa non » est, nec divisa, sed utique connexa et cohaerentiu » sibi invicem Sacerdotum glutino copulata ». et alibi (Lib: de unit: Eccl:), ait: « Qui Cathedram » Petri, super quam fundatur Ecclesia, deserit, in » Ecclesia esse non potest ». Secundo Optatus Milevitanus (Lib: 1. contra Parmenianum) de Schismaticis ita loquitur: « Deserta Matre Catholica im-

» pii filii, dum foras exeunt, et se separant (ut » vos fecitis) a radice Matris Ecclesiae invidiae » falcibus amputati, errando rebelles abscedunt ». Hieronymus (in Cap. III. Epist: ad Tit.) scribit: « Inter haeresim, et Schisma hoc interesse arbi- » tramur, quod haeresis perversum dogma habeat, » schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ec- » clesia pariter separet ». Tandem Augustinus (Lib: de fide, et Symbolo Cap: 10.), postquam statuit et ipse Haereticorum, atque Schismaticorum differentiam, quorum, illi fidem violant, isti discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, inde subjungit, dicens: « Quapropter nec Haeretici perti- » nent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum; » nec Schismatici, quoniam diligit proximum ». Idipsum Patres alii etiam communiter habent; Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

§. 428. *Objic.* I. Sacras Scripturas perlegenti aperte constabit, Schismaticos extra Christi Ecclesiam non esse; ruit ergo exposita thesis. Prob. antec. Sacras Scripturas perlegenti aperte constabit, tempore Apostolorum duas fuisse fidelium communiones, Gentilium videlicet, et Judaizantium, quae in nullo exteriori vinculo conveniebant, nec tamen ii erant ab Ecclesia praecisi; Ergo Sacras Scripturas etc.

§. 429. R. neg: consam. Nihil prorsus molitur ad nostram infringendam thesim objectum ex Scriptura exemplum de primis Christi fidelibus: enim vero Judaeos illos, qui recenter per Baptisma ad nostram venerant Ecclesiam, quique ex Veteri lege aliqua dudum observabant, vel tolerabat Ecclesia, vel non? Si postremum, certe ob defectum obedientiæ, cujus unitatem non servabant, erant ab ipsius Ecclesiae corpore praecisi; sin autem primum, haud certe Schismatici erant, cum nihil contra unitatem

egissent, quia legales illas caeremonias tolerabat Ecclesia. Caeterum schisma non est, ubi non scinditur unitas; ergo cum a primis Christi fidelibus scissa unitas non fuerit, nec ipsi Schismatici erant; et per hoc ipsum non valet argumentum.

§. 430. *Contra.* Atqui ii etiam, qui unitatem scindunt, extra Ecclesiam non sunt, redit ergo argumentum. Prob. subsm: Ubi Ecclesia, ibi Fides » inquit Hieronymus (super Psalmum 133.); Atqui puri Schismatici Fidem habent, et credunt omnia, quae nos credimus, per ea, quae dicta sunt superius: Ergo puri Schimatici sunt in Ecclesia; adeoque ii etiam etc.

§. 431. R. dist: maj; et loquitur Hieronymus exclusive ad unitatem Charitatis, et obedientiae, nego; illas etiam unitates admittit, tamquam adaequatam formam constitutivam membri, con: maj, et concessa pariter min: nego consam. Puri Schismatici habent utique, nec nos inficiamus, Fidem; sed non habent mutuae charitatis, et communionis vinculum cum membris; neque obedientiam ad Romanum Pontificem in actionibus spiritualibus, quae ex integro necessariae sunt ad constituendum membrum Ecclesiae, et ideo sola Fides non sufficit. Eapropter dici non potest de Schismaticis, quod sint in collectione fidelium, quae est Ecclesia; quippe ab ea collectione se subtraxerunt: et Hieronymus ipse, Schismaticos ab Ecclesia sejunctos pronunciat, praecise per id, quod vinculum pacis, et obedientiae non servant.

§. 432. *Contra.* Atqui puri Schismatici, esto non servent unitatem pacis, adhuc tamen sunt membra Ecclesiae; semper ergo in suo robore argumentum. Prob: subsm. Fideles improbi, esto charitate sint privati, a qua procedit pax, sunt tamen per Catholicos, membra Ecclesiae; Ergo pariter puri Schismatici membra Ecclesiae esse debent, esto non servent unitatem pacis; adeoque etc.

§. 433. R. neg: consam, et paritatem. Palmare discrimen est, Schismaticos inter, et improbos Fideles, prout diversa est charitatis species; alia quidem interna; externa altera. Interna quidem, qua per Dei dilectionem constituuntur homines Deo uniti, et adoptivi Filii nominantur; externa autem, qua per proximi dilectionem, vinculum fraternae societatis ipsi retinent cum membris Ecclesiae sub Romano Pontifice. Hac itaque de caussa cum fideles improbi externam retineant charitatem, licet per patrata scelera amittant internam, sunt per hoc ipsum praecise in Ecclesia, non sic autem de Schismaticis, qui utpote cum interna, tum externa charitate destituti, ad Ecclesiam pertinere nullatenus possunt: dicit propterea Augustinus (Lib. I. de Baptismo contra Donatistas) » Nulli Schismata facerent, si fraterno odio non excæcarentur ». Unde non currit paritas; et per hoc nostram non valet infringere thesim.

§. 434. *Objic.* II. Qui communione separatus est a Romano Pontifice, ut Schismaticus quilibet, non est tamen separatus ab Ecclesia Christi; ergo purus Schismaticus extra Christi Ecclesiam non est; adeoque etc. Prob. antec: qui separatus est ab aliquo particulari Episcopo; puta Antiocheno, vel Alexandrino, non est separatus ab Ecclesia Christi, et unitate Ecclesiae Catholicae; ergo a pari qui communione etc.

§. 435. R. negando consm, et paritatem. Latissima est disparitas inter separationem ab aliis Episcopis particularibus, et separationem a Romano Pontifice; iste siquidem solus est Caput visibile Ecclesiae universalis; Petro enim, et successoribus ejus Romanis Pontificibus dictum fuit: *Pasce oves meas*; et Christus in Cathedra Petri collocavit centrum, et apicem unitatis Ecclesiae, dicente Cypriano (Epist: 55.) » Navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad » Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis » exorta est »; quod de aliis Episcopis non est pro-

nuntiatum, nec sine haeresi dici potest. Quare si ad Romanum Pontificem, ad quem omnes particulares Pastores, omnesque Fideles per Orbem, ut ad Caput suum, et unitatis Ecclesiae centrum referuntur non secus ac lineae omnes in peripheria centri punctum respiciunt; restat proinde clarum, idem non esse separari ab aliquo particulari Episcopo, ac separari a Romano Pontifice. Verum si separatio a suo particulari Episcopo sit cum separatione cum Romano Pontifice conjuncta, ut qui dissentit a suo Episcopo, dissentire omnino videatur et a Romano Pontifice; tunc dubio procul Schismaticus etiam est, qui a sui particularis Episcopi subjectione se subducit; ut videre est in Donatistis, qui se subducentes a communione Caeciliani, se pariter subduxerunt a communione Romani Pontificis, cum quo ipse Caecilianus communicabat; consequenter etc.

§. 436. *Contra.* Atqui ii, qui communione recedunt a Romano Pontifice non tollunt Ecclesiae unitatem, neque sunt extra Ecclesiam; viget ergo argumentum. Prob. subs. Ad servandam Ecclesiae unitatem sat est, si adfirmetur, Christum esse Caput Ecclesiae, cui subesse aliquis non detrectet, Ecclesia quippe non est Corpus Romani Pontificis, sed Christi; si non ejus Corpus, nec ipse ejus Caput; adeoque etc.

§. 437. R. neg. antec. Turpissime quidem falluntur adversarii nostri, dum nobis objiciunt, sat esse ad Ecclesiae unitatem servandam, si adfirmetur Christum esse Caput Ecclesiae, cui subesse aliquis non detrectet. Ipsa enim Ecclesia utpote visibile corpus, visibile etiam exigit Caput, a quo in externa directione, et regimine possit ipsa visibiliter gubernari. Christus igitur est utique Caput Ecclesiae, quam fundavit, sed Caput principale, et invisibile, cui membra quaelibet subijciuntur; attamen praeter ipsum, aliud est visibile Caput profitendum, quod curam de ovibus gerat, et sub cujus obedientia, ex Christi insti-

tutione, universi debent subesse fideles; quare unitas non servatur, ubi haec obedientia rumpitur. Nec vero refragatur quod Ecclesia non dicatur corpus Papae, sed Christi, quia denominationem accipit a capite absoluto, et principali, non autem a Capite secundario, et ministeriali. Propter hoc igitur Corpus Christi Ecclesia dicitur, et non Papae; esto ipsamet dici quoque possit Corpus Romani Pontificis, sed tamquam Christi Vicarii, et Capitis ministerialiter Christo inservientis in externa directione, et regimine Ecclesiae, ut reponunt Theologi huic occurrentes objectioni.

§. 438. *Contra.* Atqui ad unitatem servandam sat est, ut quis adfirmet, Christum esse Caput Ecclesiae, cui subesse non detrectet, esto communione a Papa se separet; ergo a capite argumentum. Prob. subs. Sicut naturale hominis corpus, esto multa habeat membra, non tamen multa habet capita; sic Ecclesia quamvis multis constet fidelibus, non tamen habet plura Capita; ergo si Christus est Caput Ecclesiae, ejus non est Papa; et ita non recedit a Christo, esto a Papa se separet, non tamen se a capite Ecclesiae subducit, nec unitatem Ecclesiae disrumpit; adeoque etc.

§. 439. R. neg. ansm. Aaerem sane verberant, qui nobis talia opponunt, ac similia momenta; hinc ab ipsis peto adversariis, ut quid repugnet, quod in uno, eodemque corpore possint plura subordinata capita dari? Id sane nec ipsos adversarios refragaturos reor, si vel leviter advertant duo revera esse capita in unaquaque muliere. Sic *Vir caput est mulieris*, a cujus imperio ipsa dependet, ab eoque gubernatur: habet etiam naturale caput in suo corpore, a quo recipit spirituum sensitivorum influxum. Sic profecto et Ecclesia duo habet Capita, Christum nempe pro invisibili, ac primario Capite, a quo recipit internum gratiae influxum; habet et Romanum Pontificem pro visibili, et secundario Capite, qui vices gerit Christi Ecclesiamque visibiliter gubernat. Verum dicunt ad-

versarii, unum est corporis naturale caput; id ipsis lubentissime damus, nec tamen palmam possunt inde sperare: Ecclesia quippe, per nos, non est Corpus naturale, sed mysticum; et mystici corporis plura sunt capita, ut cuilibet innotescit. Totius enim Seraphicæ familiæ, sit pro exemplo, primarium caput est Romanus Pontifex, secundarium Generalis, et inde pro qualibet Provincia est Provincialis, sicut pro quolibet Conventu caput est Guardianus etc. Id quod verificatur etiam in Corpore politico, puta in Regno Neapolitano, cujus secundaria, et subordinata Capita sunt Intendentes in Provinciis, et Prorex in Sicilia; primarium autem, et absolutum est Ferdinandus II., quem Deus sospitet, atque per plurimos annos incolumen servet.

PROPOSITIO IV.

Excommunicati non sunt membra Ecclesiæ.

§. 450. **Probatur I. ex Scriptura.** Christus apud S. Matthæum, de peccatore contumaci sic loquitur: *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus* (Matth. XVIII. v. 17.); Atqui laudatis verbis excommunicatos designat; Ergo sicut Ethnici membra Ecclesiæ non sunt, ita nec etiam excommunicati.

§. 451. **Probatur II. ex Patribus.** Semper ac Patres de excommunicatis loquuntur, eos ab Ecclesia ejectos adfirmant; ergo etc. Prob. antec. S. Cyprianus (Epist. 62. ad Pompo.), excommunicationem appellat gladium spiritualem, quo » superbi, et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. S. Augustinus, nihil aliud dicit esse excommunicari, (Lib. de unit. Eccl. Cap. ult.) « quam visibiliter praecidi » a corpore Ecclesiae; ac per excommunicationem » separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per » plures serpant dira contagia »; Ergo etc.

§. 452. **Tandem probatur ratione.** Illi non sunt

membra Ecclesiæ, pro quibus Ecclesia rogat, ut in sinum suum revertantur; et cum quis eorum conversus fuerit, per suos ministros absolvit, et absolvendo dicit: *Restituo te unitati Ecclesiæ, et membrorum participationi*; Atqui tales sunt excommunicati; Ergo etc.

Objectiones solvuntur.

§. 452. *Objic.* I. Expositae thesi adversantur Patres; ergo rejicienda. Prob. antec. Augustinus (Lib. contra Donatistas) post collationem haec habet: « A » populo Dei non separamus quos vel degradando, vel » excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum » redigimus »: ex quibus sic argumentum instituo: per Augustinum separati non sunt a Populo Dei, idest a Christi Ecclesia, qui excommunicati fuerunt; Ergo etc.

§. 453. R. admissa aucthoritate, et dist: sensum: et Augustinus loquitur de ea separatione, quae perpetua est, et absque spe reditus, quam in excommunicatis non admittit, conc:, etiam de ea separatione, quae est ad tempus, nego antec., et consam. Ne dicatur, Augustinum, Augustino esse contrarium, ita sunt ejus verba accipienda, quemadmodum a nobis fuerunt in distinctione usurpata, eo vel maxime, quia Augustinus ipse (Lib: de unit: Ecclesiae Cap: ult:), jam dixerat, excommunicari est visibiliter praecidi a corpore Ecclesiae (§. 451.); unde adversarios non favet laudatus Doctor. Caeterum dicere etiam possumus, quod dum dicit Augustinus, a populo Dei, non vult indigitare Ecclesiam a qua sunt excommunicati praecisi, sed homines pios; et justos intelligit, quorum commercio non privantur excommunicati, ut eorum monitis, et suasionibus in viam possint redire justitiae. Utrumque porro si dicatur, nostram ex Augustino non valent adversarii infringere thesim.

§. 454. *Contra.* Atqui excommunicati, per Augustinum, ne quidem ad tempus sunt ab Ecclesia præcisi; Ergo n. r. Prob. subsm: Hæc habet illo in testimonio Augustinus: « A populo Dei non separamus, quos excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus »; quasi vellet innuere, ideo quosdam excommunicari ab Ecclesia, ut medicinam recipiant, et ita de patrato scelere pœniteant: ex iis ergo sic argumentum restauro: ab Ecclesiae vinculo non dissolvit, quod in utilitatem vergit: atqui per Augustinum, in utilitatem vergit fulminata excommunicatio; ergo ab Ecclesiae vinculo non dissolvit; adeoque etc.

§. 455. R. dist: maj: ab Ecclesiae vinculo etc; non dissolvit in perpetuum, conc; ad tempus, nego maj; et concessa min; nego consam. Vergit utique in utilitatem fulminata a Sacerdotibus excommunicatio, quia est veluti medicina quaedam, ut a patrato scelere resipiscat contumax, et pœniteat; estque veluti præservatio, ne contumacis contagium in alios diffundatur, et ne bonos Christi fidelium mores corrumpere valeat. Sed tamdiu pro excommunicato profigua est excommunicatio, si in corde statuat a sua recedere contumacia; unde sub hoc respectu non est perpetuo separatus a corpore Ecclesiae, sed tantum ad tempus: verum si e contra in sua contumacia persistit, Satanae ipse traditus, ob poenitentiae defectum, nullam potest sperare salutem. Et quod Augustinus ita revera sentiat, videri poterit quid ipse dicat (Lib: de correptione et gratia Cap: 15.), ubi sic: « Per excommunicationem, inquit, separari ab ovibus sanis, ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia »; consequenter etc.

§. 456. *Contra.* Atqui per Augustinum, fulminata excommunicatio, neque ad tempus ab Ecclesiæ vinculo excommunicatos dissolvit; Ergo a Cap: argumentum, Prob: subsm. Toties dissolveret, quoties

illi neque Baptisma, neque Fidei professionem, neque subjectionem Praelato retinerent, in quibus, per ipsum Augustinum, unitas consistit: atqui excommunicati recitatas illas conditiones retinent, ut omnibus est notum; ergo per Augustinum etc.

§. 457. R. negando maj. Ut aliquis vere, et proprie dicatur esse in Ecclesiae corpore, praeter laudatas illas conditiones, requiritur etiam, quod una cum aliis Christi fidelibus communicet in vero cultu Divino; id ergo quia non faciunt excommunicati, de Ecclesiae corpore proinde dici non possunt; consequenter etc.

§. 458. *Objic.* II. Ii in Ecclesia sunt, qui salutem consequi possunt, extra enim Ecclesiam non est salus: atqui excommunicati possunt salutem consequi; Ergo excommunicati in Ecclesia sunt; adeoque etc. Prob min. Si Excommunicatus, ante absolutionem a censura, moriatur, vere salutem consequitur, dummodo tamen poenitentiam egerit; ergo excommunicati etc.; adeoque etc.

§. 459. R. negando consam. Ad propositam solvendam objectionem sat est si dicatur, excommunicatum illum pro tunc esse intra Ecclesiam, si non externa communicatione, quae necessario requiritur, ut aliquis constituatur Ecclesiae membrum, saltem affectu, et desiderio, et propter hoc ipsum salutem consequitur. Iam vero, esto possint excommunicati salvari, non proinde in Ecclesiae unitate vivunt, quia externam communicationem praecipue in vero cultu Divino cum aliis non retinent; atque adeo etc.

§. 460. *Contra.* Atqui ex commuuicati, quia possunt salutem consequi, in Ecclesia sunt, non tantum affectu, et desiderio, sed etiam externa communicatione; viget ergo argumentum. Prob. subm. Manus ligata, et podagrica non desinit esse sui corporis membrum; Ergo a pari, excommunicati, censura

ligati, esse non desinunt Ecclesiae membra; adeoque excommunicati etc.

§. 461. R. dist: cons; non desinunt esse Ecclesiae membra quoad motum, et operari, conc:; etiam quoad rem, nego consam, et paritatem, aliamque consam. Manus ligata, dummodo est suo corpori juncta, ipsius corporis membrum esse non desinit, sicuti non desineret excommunicatus esse Ecclesiae membrum, si esset eidem Ecclesiae conjunctus, sed quia ab Ecclesia Satanae traditur excommunicatus, hoc est quia saevit in eum fortius Satanas, dum illum videt auxiliis Ecclesiae destitutum, merito dicitur ipse ab Ecclesia praecisus. Interea si excommunicatus aliquis potest salutem consequi, id unice probat, eum esse membrum Ecclesiae quoad motum, et operari, quia Divina suffultus gratia, potest se ad poenitentiam movere, illamque operari; non autem quoad rem, quia de bonis Ecclesiae nec participat, nec cum aliis in cultu Divino communicat; ac per consequens, etc.

§. 462. Dices. Excommunicatio est pœna medicinalis; Atqui pœna medicinalis non esset, imo venenum laethale, si fidelis ab Ecclesia penitus ejiceretur; ergo etc.

§. 463. R. Conc. maj. dist. min: Esset venenum lethale, si nulla spes fideli relinqueretur ad Ecclesiam redeundi, conc., secus, ne: min., et consm. Fidelis non ideo ob culpam, et suam contumaciam ab Ecclesia separatur, ut omnino sit extra omnem salutis spem, et in suis peccatis moriatur; sed ut hac spirituali pœna, in se reversus, emendetur: « Excommunicatus enim, ait S. Thomas (In supp. Cap. XXI. n. 2. ad 3.), non traditur Satanae quasi damnandus, sed quasi corrigendus ».

PROPOSITIO V.

Cathecumeni actu non sunt membra Ecclesiæ.

§. 464. Probatur. Catechumeni sunt illi, qui nondum receperunt baptismum, sed in Fide erudiuntur, et per varia pietatis exercitia ad baptismum suscipiendum disponuntur (§. 407.); Atqui sine baptismo nullus constituitur Ecclesiæ membrum, quia ut loquitur Florentina Synodus (Vid. quoq. Trid. Sess. 14. Cap. 2.): *Baptismus vitæ spiritualis janua est, et per ipsum membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ efficimur*; Ergo etc. Ulterius; esto Cathecumeni Fidem, et Charitatem profiteantur, non admittuntur tamen ad eorumdem Sacramentorum participationem cum aliis fidelibus; neque de aliis spiritualibus bonis participant, quibus alii fideles potiuntur; ergo etc.

PROPOSITIO VI.

Non solum prædestinati, sed et reprobi sunt membra Ecclesiæ.

§. 465. **Probatur 1. ex Scripturis. Et primo quidem Ecclesia comparatur areæ; sicut ergo in area frumentum cum paleis commixtum est (Matth. Cap. III. v. 12.), ita et in Ecclesia adsunt frumenta, scilicet prædestinati congregandi in horreum Domini, in Cælum nempe admittendi, et paleæ, hoc est præsciti tradendi ad comburendum igni, in infernum nempe detrudendi. Secundo comparatur sagenæ missae in mare, et ex omni genere piscium congreganti (Matth. Cap. XIII. v. 47.); sicut ergo in sagena boni pisces, et mali capiuntur, sed postea boni eliguntur in vasa, mali autem foras mittuntur, ita et præsens Ecclesia, prædestinatos, et reprobos complectitur;** ***sed in con-***

summatione sæculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Tertio comparatur Ecclesia ovili (Ibidem Cap. XXV.); sicut ergo in ovili sunt oves cum hædis, ita in Ecclesia sunt oves, nempe prædestinati, et hædi, hoc est reprobi, et Pastor in fine mundi separabit *oves ab hædis*, et hos statuet a sinistris, illas a dextris collocabit (Ibidem). Quarto tandem comparatur Convivio nuptiali, de quo fit mentio apud S. Matthæum (Cap. XXII.); sicut ergo in illo boni, et mali vocati fuerunt, sed postea qui vestem nuptialem non habebant, in tenebras exteriores missi fuerunt; ita etiam in Ecclesia boni, et mali sunt, prædestinati scilicet habentes vestem nuptialem, idest gratiam sanctificantem; et reprobi ea carentes: nisi quod hi mittentur in infernum, illi ad æternam Agni cœnam in Cœlis gustandam assumentur. Non solum ergo prædestinati, sed etc.

§. 466. Probatur II. Multi sunt ad gloriam prædestinati, qui modo sunt vel Infideles, vel Hæretici, vel Schismatici, vel peccatores; et e contra, multi sunt reprobi, qui modo sunt justi in Mundo. Quot namque fuerunt, qui cum Saulo persequebantur Ecclesiam Dei, et nihilominus prædestinati erant? quot e contra cum Juda sequuti fuerunt Christum, et postea damnati sunt? Aut ergo dicendum, Ecclesiam non esse Unam, non Sanctam, sed sylvam frementium bestiarum; Sectarum nempe sibi mutuo contradicentium; Infidelium, Haereticorum, Schismaticorum, et Apostatarum, quod repugnat (§. 408. et seq.), aut prædestinatos simul et reprobos ad Ecclesiam pertinere. Tandem per Baptismum aditus ad Ecclesiam patet; juxta illud Apostoli ad Galatas (Cap. III. v. 27.): *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis;* et sine ipso nemo in eam intrat, juxta illud Christi Domini (Joan. III. v. 5.): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest*

introire in Regnum Dei; Atqui ex baptizatis non pauci sunt reprobi; Igitur non solum prædestinati, sed etc.

Argumenta opposita solvuntur.

§. 467. *Objic.* I. Ecclesia saepius vocatur Corpus Christi mysticum; debet ergo assimilari corpore illius physico; Atqui Corpus Christi physicum est undequaque sanctum et gloriosum, nullam habens sive maculam, sive immunditiam; Ergo et Ecclesia; adeoque etc.

§. 468. R. dist. maj., quoad suum esse formale, conc. maj., quoad esse materiale, subdist:, quoad omnia, nego, quoad aliqua, conc. maj. Ergo etc. dist. 1. cons.; quoad omnes ejus partes, n., quoad aliquas, conc.; et concessa min subs. in sensu distinct., nego consm. Ecclesia utique, ut est Corpus Christi mysticum, assimilatur ejus Corpori physico, at non quia solos praedestinatos continet, sed aliis de causis. Assimilatur enim in primis quoad esse formale; per Fidem namque, Spem, et Charitatem internam justi, unum corpus efficiunt cum Christo, cujus ipse est Caput; immo *unus spiritus sunt cum eo* (Corinth. VI. v. 17.). Assimilatur quoque quoad esse materiale, quia sicut in corpore physico multa sunt membra, quae non eumdem actum habent, omnia tamen ab invicem communicant, eodem cibo nutriuntur, et sub eodem capite vivunt, ita licet multi sint fideles et varii, eamdem Fidem nihilominus profitentur; iisdem Sacramentis aluntur, roborantur, perficiuntur, et sub eodem capite adunati, Deo debitum cultum praestant. Ex quo itaque Ecclesia sit corpus mysticum, non infertur, solos praedestinatos continere; Quinimmo, quia tale, praedestinatorum societas esse nequit. Cum namque praedestinati sint invisibiles, et ignorenturi, membra vero Ecclesiae debeant esse visibilia, et cognita; (§. 345.); cumque non pauci ex praedestinatis

actu esse possint, et sint vel Haeretici publici, vel Schismatici, vel Infideles etc. (§. 466.), si Corpus Christi mysticum ex solis praedestinatis coalesceret, nullum esset; aut si esset, actu complecteretur etiam Infideles, Haereticos, Apostatas etc.; adeoque aut nullam, aut exiguam, inperfectissimamque similitudinem cum Corpore Christi physico haberet. Adeoque etc.

§. 469. *Contra.* Atqui Christi Ecclesia est mysticum Christi corpus undequaque sanctum, et perfectum, ut solos prædestinatos contineat; Ergo n. r. Prob. subs. Christus laboravit maxime, fuditque sanguinem suum (Ephes. I. v. 29.) *at exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit Sancta, et immaculata;* Atqui hoc esset falsum, si Corpus Christi Mysticum, undequaque etc.; Ergo etc.

§. 470. R. dist. sensum auct. Christus etc., ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam etc., inchoate in terris, et solum complete in Cælis, conc:; complete etiam in terris, nego maj. Atqui etc., dist. min. Si loquamur de Ecclesia inchoate gloriosa etc.; in terris, nego; si de completa in Cœlis, conc. min., et n. consm. Christus utique sua passione, atque morte obtinuit, ut Ecclesiam Sanctam, et immaculatam sibi compararet, at id non ita intelligendum, quasi talis sit complete Ecclesia militans, sed solum Ecclesia triumphans, in qua perfecta pax invenitur absque ulla sorde, vel macula, aut aliquid aliud valens inquinare; Quare Augustinus (Lib. II. Retract Cap. 18.) protestatus est, dicens: *Ubicumque Ecclesiam commemoravi non habentem maculam atque rugam, non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit.* Neque vero ex quo praesens Ecclesia, nonnisi tantum inchoate sit Sancta, immaculata etc., dici potest, eam talem vocari jure non posse; Nam sicuti jure aliqua Civitas dicitur di-

tissima, et opulenta propter copiam frugum, mercium abbundantiam, et divitum multitudinem, licet in ea multi pauperes, et miserrimi inveniantur; ita et Ecclesia Sancta, immaculata, et absque ruga dicitur, propter copiam divinorum charismatum, quae in ipsa inveniuntur, et dispensantur; propter doctrinae, et morum puritatem, atque excellentiam, quam profitetur; propter Sacramentorum Sanctitatem quae in ipsa ministrantur; et tandem propter vitae integritatem multorum membrorum; licet in ipsa permulti reprobi reperiantur. Adeoque etc.

§. 471. *Contra*. Atqui Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam in terris, non solum inchoate, sed etiam complete; Ergo n. r. Prob: subsm. Membra Ecclesiæ dicuntur in Scripturis: *genus electum*, *gens Sancta* (I. Petri Cap: 11. v. 6.); Atqui si Ecclesia non esset complete gloriose in terris, talia non dicerentur ejus membra; Ergo etc.

§. 472. R. n. min: cum consa. Fideles qui sunt membra Ecclesiæ, non ideo *genus electum* dicuntur, quia sunt ad gloriam æternam prædestinati, neque etiam tales sunt quasi Ecclesia sit complete gloriosa in terris a Iesu Christo sponso suo jam reddita; sed quia, sicut Deus in Veteri Lege semen Abrahæ elegit, et filios Israel sibi in populum, et dilectam hæreditatem, ita in Nova Lege, ante Mundi constitutionem fideles elegit sibi in populum, et ut essent Sancti, et immaculati in conspectu ejus; ea quippe sanctitate, quæ hic in terris obtineri potest, et Ecclesiæ militanti convenire potest (§. 309.).

§. 473. *Objic*. II. Si vel minimum attendatur ad figuras illas ex Scripturis petitas, in quibus hæc Christi Ecclesia adumbratur, constabit aperte, solos prædestinatos esse Ecclesiæ membra; ruit ergo exposita thesis. Prob. antec. Arca Noè fuit Ecclesiæ figura, teste Augustino (lib. 3. de Baptismo Cap. ultimo); sed in Arca fuerunt tantummodo; qui salvandi

erant; Ergo in Ecclesia Arcæ figura sunt soli Praedestinati; adeoque si vel minimum etc.

§. 474. R. dist: maj: Arca Noè etc. absolute, et simpliciter, nego; secundum quid, conc: maj: et dist: min: Sed in Arca etc:, et in hoc nequit consistere paritas Ecclesiam inter, et Arcam, conc:, secus, nego min:, et consm. Nulla intercedit adæquata paritas Ecclesiam inter, et Arcam, alias sequeretur, quod sicuti in universali aquarum inundatione nullum ex animalibus in Arca existentibus periit, ita neque perituri essent homines illi, qui inter Christi Ecclesiam sunt constituti, quod nemo umquam dixit; Arca igitur typus fuit, et figura Ecclesiæ, sed tantum in hoc, quod sicut in illa munda simul, et immunda continebantur animalia, ita in Ecclesia Iusti sunt, et peccatores: et sicuti extra Arcam nemo factus est salvus, ita extra Ecclesiam nemo potest salutem consequi. Sic profecto, et non aliter loquuti sunt PP., præsertim Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, aliique passim, qui etsi Arcam Ecclesiæ assimilarunt, ipsam tamen assimilationem eo sensu exponunt, quo jam exposuimus; atque adeo de triumpho gloriari non possunt adversarii nostri.

§. 475. *Contra.* Atqui Per assimilationes ex Scripturis petitas datur nobis intelligi, quod reprobi ad Ecclesiam absolute non pertineant; viget ergo argumentum. Prob. subsm. Ex eodem Augustino (Lib: 5. de Baptismo), Ecclesia propter electos, et Prædestinatos assimilatur fonti signato, horto clauso, et puteo aquarum viventium, per ea quæ leguntur in Canticis Canticorum (Cap. 22.); Ergo per assimilationes etc.

§. 476. R. dist: antec. Ex eodem Augustino etc., et pro hujusmodi Ecclesia intelligitur tantum Ecclesia triumphans, in qua vere sunt soli electi, et prædestinati; conc:, intelligitur etiam Ecclesia militans, nego antec., et consm. Est in promptu idem Augustinus, qui objectæ difficultati occurrit, dicens, Eccle-

siam illam horto concluso assimilatam etc: non esse Ecclesiam militatem, bene vero triumphantem, qualis apparebit in gloria: inquit (Lib: 2. retractationum Cap. 18:) Ubicumque Ecclesiam commemorari non » habentem maculam, neque rugam, non accipien» dum est, quasi jam sit, quando apparebit etiam » gloriosa ». Pessumdat ergo S. Doctor quamlibet adversariorum jactantiam, ita mentem suam exponens. Sed etiam dato, quod inibi Ecclesia quoque militans foret intelligenda, non tamen aliquid concluditur contra expositam thesim, in horto siquidem concluso vepres cum floribus miscentnr; atque adeo cuilibet innotescit, non tantum in Ecclesia esse flores in domo quidem Domini plantandos, seu prædestinatos, sed etiam esse vepres ad tartareum ignem damnandos, reprobos videlicet, atque præscitos. Negotium itaque non facessunt nostri adversarii talia conclamitantes momenta.

§. 477. *Contra*. Atqui ex Augustino, per similitudines in Scripturis expressas, optime suadetur, reprobos ab Ecclesia excludi; Ergo stat argumentum. Prob: Ecclesia Christi dicitur ovile; Atqui in hoc ovile non sunt nisi oves, per quas, docet Augustinus (Tract. 45. in Joan.), *intelligi eos, quos Dominus per præscientiam suam novit esse suos*; prædestinatos nempe; Ergo etc.

§. 478. R. conc. maj, dist. min. Atqui etc., et per oves semper intelliguntur prædestinati; nego min., aliquando, conc.; Ergo etc. n. consm. Nomine ovium in sacris Scripturis non semper prædestinati intelliguntur; sed aliquando, immo ordinarie tam prædestinati, quam reprobi. *Iratus est*, ajebat David ad Dominum (Psal. 73. v. 1.), *furor tuus super oves pascuæ tuæ*. Certe hic per oves pascuæ Dei intelligit Propheta populum Judaicum sub immediata Dei protectione positum. Sed erant ne omnes de illo populo ad æternam gloriam prædestinati? Haud certe. Deinde

dicit Jesus Petro (Joan. XXI. v. 18.): *Pasce oves meas.* Per oves quippe hic solos prædestinatos non significat, sed etiam reprobos. Qui namque pascere debet oves, debet quoque scire quæ sint, easque cognoscere, ut videat quid eis opus sit, quidque ipse agere debeat pro earum regimine; visibiles proinde oves Petro commissæ fuerunt; Atqui prædestinati non cognoscuntur ut tales, nisi a solo Deo, juxta illud Pauli: *cognovit Dominus qui sunt ejus* (II. Tim. 2. v. 19.); et nemo potest in hac vita, absque speciali privilegio scire, se esse prædestinatum; Ergo et praedestinati, et reprobi curae Petri a Christo commissi fuerunt; adeoque etc.

PROPOSITIO VII.

Non solum Justi, sed et Peccatores sive publici, sive occulti sunt membra Ecclesiæ, secundum corpus inspectæ.

§. 479. Probatur 1. Ecclesia Catholica solet in Sacris Literis, et a Patribus assimilari agro, in quo sinitur crescere triticum et zizania usque ad messem (Matth. XIII. v. 27.): Decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, quae habebant oleum, gratiam nempe sanctificantem, aut charitatem (Id. Cap. XXV.), unde et ad nuptias sponsi admissae fuerunt, et quinque fatuae, quae oleo charitatis carentes, foras relictae manserunt; et aliis rebus (§. 465.); Ergo in Ecclesia sunt boni, et mali, justi et peccatores, isti figurati per zizaniam, et virgines stultas, illi per triticum, et virgines sapientes. Ita interpretatur S. Gregorius (Hom. XII. in Evang.), dicens: *Sancta Ecclesia decem Virginibus similis esse denuntiatur, in qua, quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis Virginibus prudentibus, et fatuis esse perhibetur.*

§. 480. Probatur 2. Illi vere sunt in Ecclesia, qui ab Ecclesia ejici possunt; Atqui peccatores publici ab Ecclesia ejici possunt, juxta illud (Matth. XVIII. v. 17.): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum . . . . si te non audierit, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus*; Ergo non solum justi, sed etiam etc. Deinde vult Dominus ut Prælatos audiamus, neque interim mala eorum opera imitemur, dicens (Ibid. XXIII. v. 3.): *Quaecumque dixerint vobis servate et facite, secundum autem opera eorum nolite facere*; Atqui hoc non diceret si mali Præsules extra Ecclesiam forent; Ergo etc.

§. 481. Probatur tandem auctoritate Patrum, pro quibus unus Augustinus sufficiat, qui loquitur ita (Lib. de unit. Eccl. Cap. XIV.) » Habemus innu-» merabilia testimonia, et de commixtione malo-» rum cum bonis in eadem communione Sacramen-» ti; sicut Judas ab initio malus inter bonos unde-» cim conservatus est . . . ex quibus ne longum fa-» ciam, pauca commemoro. Est in Canticis, quod » de Sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agno-» scit, sicut lilium in medio spinarum, ita proxima » mea in medio filiarum. Unde appellat spinas, nisi » propter malignitatem morum? et easdem unde » filias, nisi propter communionem Sacramentorum »? Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

§. 482. *Objic.* I. Apertissima sunt Scripturarum oracula, quae ad evidentiam demonstrant, peccatores sive publicos, sive privatos de Ecclesia non esse; ruit ergo exposita thesis. Prob: antec: Isaias (Cap: 52. v. 1.): hæc de Christi Ecclesia pronuntiat, dicens; *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus*. Quasi vellet innuere, aliquando

futurum, in quo nemo, qui immunditiam contraxerit, ad Christi Ecclesiam pertineat; Ergo apertissima sunt etc.

§. 483. R. dist: antec: quasi vellet innuere etc. pertineat ad Ecclesiam triumphantem, conc: ad Ecclesiam militantem, nego antec: et consm. Ita adductae objectioni occurrit Augustinus, testimonium illud exponens de Ecclesia triumphante, per quam nemo immundus pertransire poterit. Audiatur propterea, quid ipse dicat (in Lib: post collationem Cap: 9.): « Non eam (Ecclesiam intellige) nunc esse talem, » qualis post resurrectionem futura est; nunc malos » habet permixtos, tunc omnino non habituram, » ad illam ejus puritatem, non ad hujus temporis » permixtionem illa testimonia pertinere, quibus eam » praedixit ab omni malorum permixtione penitus » alienam. » Nos igitur non movet adductum testimonium, ut diximus, de Ecclesia triumphante intelligendum.

§. 484. *Contra*. Atqui longe abest, quod recitatum testimonium possit de Ecclesia triumphante intelligi; restat ergo argumentum. Prob: subsm. In eodem Cap:, sed v. 11., ait Propheta: *recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*. Ergo cum verba ista nequeant, nisi de militante Ecclesia intelligi, quia mortalibus Propheta loquitur, ita et de eadem Ecclesia debent antecedentia verba intelligi etc.

§. 485. R. admissa auct:, sed eam explicando. Nonnulli sunt ex Theologis, nec inficior, qui verba laudata ad militantem Ecclesiam referunt, dicentes propterea, ibi non quidem intelligi Ecclesiam absolute, et simpliciter Immaculatam, atque gloriosam, sed secundum quid tantummodo, quatenus nempe in suis praestantioribus membris nullam maculam, nullamque rugam habeat. Caeterum, quia Christus se morti tradidit pro omnibus omnino hominibus, et suo san-

guine redemit justos non solum, sed etiam improbos; et istorum proinde, atque illorum promiscue est Caput; ea propter, et illi, et isti ad Ecclesiam pertinent, seu de Ecclesia sunt, ut ex dictis manifestissima liquet.

§. 486. *Contra.* Atqui improbi in eadem societate cum justis esse non debent, ergo a capite arg: Prob: subsm (Hieremiae 23. v. 28.) improbi comparantur paleae, et justi frumento electo, nec tamen aliquam societatem inter ipsos Propheta admittit; legitur quippe: *Quid paleis ad triticum*? et clarius (II. Cor: VI. v. 14.): tenebris assimiliantur improbi, et luci justi, sed neque Apostolus ullam participationem ullamque societatem recensuit, dicens: *quae participatio justitiae cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* Ergo improbi etc.

§. 487. R. admissis auctoritatibus in sensu mox exponendo, et negando, quae inde infertur, consam. Siquidem quod Hieremiam attinet, summam redolet falsitatem, quod ipse paleae nomine improbos indigitet, et per triticum justos intelligat; nam teste Tirino in Commentario ad Cap: citatum, in animo laudati Prophetae fuit, falsas prophetias cum veris comparare, illasque paleas appellat, istas vos triticum dicit. Vere etenim paleae sunt mendacia; nihil vigoris, nihil subtantiae continentia; sed veræ prophetiae, quasi solidum triticum animas pascunt, nutriunt, atque substentant. Ea propter inibi non agens Propheta, quod adversariis faveat, ideo thesi non praejudicat, quod nobis ex ipso opponebatur. Sed neque aliquid prejudicat altera consimilis objecta aucthoritas ex Paulo deprompta; nam ibi monet Corinthios, ut omnem cum infidelibus, et Haereticis societatem fugiant, ne tali inita societate cum immundis, in bonis moribus corrumperentur; una cum ipsis contaminati apparerent, et tandem a Fide deficerent; unde paulo ante objecta verba, præmittit:

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Et postea subdit: *Quae enim participatio* etc. Cum igitur non agat Apostolus de hac, quae nunc agitur controversia, satis abunde liquet, effrontes esse adversarios, talia objicientes momenta, nostramque thesim talibus eorum argumentis impetitam vegetiorem exurgere. Consequens est Ergo. etc.

§. 488. *Objic.* II. Ecclesia est Sancta; Oportet ergo sancta sint ejus membra; Adeoque etc.

§. 489. R. Ecclesia dicitur Sancta, non quia omnia ejus membra sunt sancta; sed alio multiplici ex capite (§. 490.); Non ergo etc.

§. 490. *Contra.* Atqui si Ecclesia est Sancta, omnia ejus membra debent esse Sancta; Ergo n. r. Prob. subs. Quicumque sunt membra Ecclesiæ, sunt filii Dei; *quotquot* namque, ait Joannes (Joan. I. v. 12.); *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*; Atqui peccatores sunt filii diaboli, et ejus membra, juxta illud Domini (Ib. VIII. v. 64): *Vos ex Patre Diabolo estis*; Ergo etc.; Adeoque etc.

§. 491. R. dist. maj. Quicumque etc. secundum suum esse formale (§. 268.) sunt filii Dei, conc.; secus, nego maj. Atqui etc., dist. min. Sunt filii diaboli quia vitiis inquinati, charitate orbantur, conc. secus nego min., et dist. 1. cons. Ergo non sunt membra Ecclesiæ quoad animam, conc.; quoad corpus nego; Adeoque nego ult. consm. Omnes illi qui gratia sanctificante ornantur, dicuntur, et sunt revera filii Dei, et membra sunt Ecclesiae quoad ejus animam, et corpus. Peccatores autem, quia per culpam, hoc Dei donum non possident, et vitiis inquinati sunt, filii diaboli, et ejus membra vocantur. At nihil vetat quominus etiam filii Dei, et membra Ecclesiæ vocari possint, et sint, saltem quoad ejus corpus.; Ipsi namque eamdem Fidem profitentur, eamdem Sacramentorum communionem habent, et sub eodem capite Romano Pontifice sunt. Quare eos filios

appellat Ecclesia, appellat Dominus, licet discolos, et ingratos. Hinc conqueritur Deus apud Isaiam Prophetam, dicens (Cap. I. v. 2.): *filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et in Canticis (Cantic. I v. 2.): *filii matris meæ pugnaverunt contra me*; Quod et clarius ostendit Christus, cum sanaturus Paralyticum, dixit illi (Matt. IX. v. 2.): *Confide filii, remittuntur tibi peccata.* Peccator itaque erat ille, et adhuc filius vocatur; Ergo etc.

§. 492. *Contra.* Ex concessis, peccatores sunt charitate destituti; Ergo sunt extra Ecclesiam; Adeoque a capite argumentum. S. Augustinus (Lib. II. contra Cresconium), ita scribit: « Nom existimo, » quemquam ita desipere, ut credat ad Ecclesiam » pertinere unitate eum, qui non habet charitatem «; Sed, ex concessis, peccatores non habent Charitatem; Ergo etc.

§. 493. R. ad argumentum. Duplici sub respectu potest quis ad Ecclesiam pertinere, per intellectum nempe, seu per fidem in uno credito, et per voluntatem, seu charitatem in uno amato. Hoc itaque semel admisso, clarissime quidem constat, improbos fideles, ob defectum charitatis non esse in Ecclesia tanquam membra animata, et viva, quemadmodum et cæteri, qui gratiam sanctificantem habent, quippe Christo adhærent, cum quo uniuntur. Ast improbi itidem in Ecclesia sunt per Fidem, tanquam per aliquod vitæ initium, hi nempe, Deo auxiliante, se possunt movere ad gratiam sanctificantem adquirendam juxta dictamina quæ præscribuntur ad Fidem. Vel etiam dicere possumus, malos utique non pertinere ad animam Ecclesiæ, quamvis de ipsius corpore sint. Atque juxta hanc acceptionem interpretenda sunt alia Augustini testimonia, in quibus de malis pronuntiat quod videntur esse intus, et non sunt; aut absolutissime statuit, Ecclesiam in Sanctis, et justis consistere.

CAPUT V.

De distinctione membrorum Ecclesiæ.

§. 494. *Animad.* Inter membra Ecclesiæ distinctionem aliquam esse debere, certum est. Ipsa namque, (Rom: XII. v. 6.) comparatur corpori; sicut ergo in uno corpore sunt multa, et diversa membra ad diversos usus, et necessitates destinata; et alia quidem nobiliora, ignobiliora alia, ita et in Ecclesia. Comparatur domui, sicut ergo (II. ad Tim: II. v. 20.) in domo sunt multa vasa, quædam argentea, quædam aurea, quædam fictilia; atque inter hæc, alia destinata ad usum honorificum, et in contumeliosum alia, ita et in Ecclesia. Comparatur tandem aciei castrorum ordinatæ (Cant: VI. v. 3.), in qua sunt milites equites, et pedites; magni Duces; equitum magistri, peditum præfecti, Chiliarchi, Officiales, Decuriones, etc., ita et in Ecclesia. Quare D. Paulus ad Corinthios scribens (I. Cor: Cap: XII. v. 28.) ait: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos, secundo Prophetas; tertio Doctores: deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* Verum his, utut certis atque probatis

Opponuntur Heterodoxi.

§. 495. Isti namque nullam distinctionem faciunt inter Ecclesiæ membra, voluntque omnes tam Clericos, quam Laicos, ejusdem conditionis, et dignitatis esse inter se; omnes æqualiter esse Sacerdotes, omnes Evangelii ministros. Quod si differre dicuntur, id esse ex hominum arbitrio, et institu-

tione. Ita Wiclefus, Valdenses, Lutherus, Calvinus, eorumque gregales. Præter hos Aerius, teste S. Epiphanio (hæresi 75.), Albigenses, Salmasius, Blondellus, aliique de Calviniana familia, docuerunt Episcopos et Presbyteros æquales esse inter se cum ordine, tum jurisdictione. Atque hinc error illorum qui negant Praesulibus Ecclesiae potestatem ferendi leges obligantes in conscientia. Contra quos stant Catholici (1), qui tuentur prout sequitur.

PROPOSITIO I.

Presbyteri in vera Christi Ecclesia, jure Divino a Laicis secernuntur.

§. 496. Probatur. Illi jure Divino ab aliis secernuntur, qui ex Scripturis peculiari ratione a Deo vocantur, et Deo consecrantur; qui peculiarem habent supra alios potestatem; quique, ut alia taceam, aliorum sunt Pastores, et Doctores; ministri Domini, et dispensatores ministeriorum Dei; Atqui tales sunt Presbyteri; igitur etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes. Et ad primam quod attinet; *Nemo*, ait Apostolus (Heb: V. v. 4.), *assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*. Quare in Actis Apostolorum (Cap: XIII. v. 2. 3.) cum mentio fit de Saulo, et Barnaba ad opus presbyterii assumptis, sic dicitur: *ministrantibus illis, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos*. En primo Presbyteros a Deo vocatos, specialiter, et ab aliis segra-

(1) Bellarm. *Controv. II. Gen. Lib. I. Cap. I.* Boucat *Tom. VIII. Dissert. VI. art. 1.* Julius Laurent. Selvag. *Tom. I. Antiq. Christ. Lib. I. Cap. XI.* §. 11. *etc.*

gatos; sequitur: *Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* En 2. Praesbyteros peculiari ratione Deo consecratos: Atqui non sic alii de popolo a Deo vocantur, et Deo consecrantur; Ergo etc. Quoad secundam: Presbyteri duas habent maximas potestates, primam nempe supra Corpus Christi physicum; idest consecrandi Corpus, et Sanguinem Domini, atque aliis dispensandi, secundam super corpus ejusdem mysticum, remittendi nempe aut retinendi peccata; et utramque a Domino acceperunt; primam in ultima Coena, cum Christus suos Apostolos Sacerdotes ordinavit, et dixit illis (I. Cor. XI. v. 27.): *hoc facite in meam commemorationem*; sacundam cum post Resurrectionem suam apparens discipulis (Ioan: XX. v. 12.); *insufflavit, et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittunter eis, etc.* Atqui nullam ex his potestatibus habent Laici; Ergo etc. Quoad tertiam denique; quod nempe Presbyteri sunt animarum Pastores, et Doctores, ministri Dei, et dispensatores ministeriorum Dei, omnino certum est. Et sane quod sint Pastores, patet ex Apostolo (Act: XX. v. 28.), qui Episcopos alloquens, ait: *Attendite vobis, et universo gregi, etc.* Quod sint Doctores, patet ex verbis Domini (Matt: ult: v. 19.): *Euntes docete omnes gentes . . . . . docentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis;* quod autem sint ministri Dei etc., patet ex D. Paulo, qui (II. Cor: III. v. 5.) ait: *Idoneos nos fecit ministros;* et (I. Cor: IV. v. 1.) *sic nos existimet homo tamquam Dei ministros, et dispensatores ministeriorum Dei*; Atqui Laici nihil hujusmodi sunt; immo potius sunt oves, et discipuli; ergo etc. Atque hæc adeo vera sunt, et rectæ rationis principiis consona, ut vel ipsi Gentiles, maximi semper fecerint suorum, licet inanium Deorum, Sacerdotes, illosque a Laicis segregatos putarint, singulari in honore præ aliis habendos.

Adversariorum argumenta solvuntur.

§. 497. *Objic:* I. Quod a Sacris Litteris aperte improbatur, id nequit esse de jure divino; Atqui Clericorum a Laicis distinctio a Sacris Litteris improbatur; Ergo falsa propositio. Prob: min: S. Petrus (Epist: II. C. 1. v. 1.), scribit, omnes sive clericos, sive laicos esse inter se æquales; nam omnes, ait, *coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem*; Ergo etc.

§. 498. R. admitt: auct:, n. consm. Hoc argumentum, quod tanti faciunt adversarii, contra ipsos potius facit, quam contra nos, ut ideo dicere possimus cum Regio Psalte (Psal: 56. v. 7.): *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Etenim nihil aliud ex laudato testimonio evincitur, quam, omnes fideles eamdem sortem ad fidem sortitos fuisse, quod et nos ipsi concedimus. In Ecclesia enim Christi, aiebat S. Paulus ad Galatas (Cap: III. v. 28.): *Non est Iudæus, et Græcus, non est servus nec liber; non est masculus, neque fœmina; enim vos unum estis in Christo Iesu;* Non vero quod eamdem sortem sortiti sint quoad ministerium.

§. 499. *Contra.* Atqui S. Petrus, fideles omnes sive Presbyseros, sive Laicos æqualem sortem sortitos esse ait non solum quoad Fidem, sed etiam quoad ministerium; Ergo n. r. Prob: subsm. Idem Apostolus (Cap: V. I. suæ Epist: v. 2.) scribit: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum . . . Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quibus positis, en argumentum: Ille Presbyteros a Laicis non distinguit, æqualesque in sorte quoad ministerium facit, qui Presbyteros vetat in laicos dominari; Atqui S. Petrus ita se gessit; Ergo etc.

§. 500. R. dist: maj: Qui Presbyteros, dominatione iniqua etc., n. maj:, dominatione secundum

Deum, et quæ Pastori supra oves suas competit, conc., et dist: min: Atqui etc. aufert a Prælatis dominium, et ministerium secundum Deum, et proprio muneri convenientem, n. min:, iniquitatem tum ministerii, tum præfecturæ, conc: min, et nego consm. Cum itaque S. Petrus laudato loco dicat *pascite* etc:, clarissime denotat, se non abstulisse a Prælatis ministerium, atque dominium supra Laicos; sed potius confirmasse, dando eis veram, atque laudabilem formam laicos gubernandi, ut nempe non pravo fine, et more superborum Secularium dominarentur in Cleris, sed discrete, et peramanter, uti decet quos dominus Iesus Christus posuit pascere concreditas oves.

§. 501. *Contra*. Atqui S. Petrus absolute negat distinctionem Laicos inter et Clericos, quoad ministerium, et dominationem; Ergo n. r. Prob: subsm. S. Petrus, omnes omnino Catholicos vocat præfectos, et sacerdotes; ait enim (Epist: I. Cap. II. v. 4.): *Ad quem Accedentes*, nempe ad Christum. . . . *tamquam lapides vivi superædificamini Sacerdotium Sanctum* . . . . *Vos autem genus electum, regale sacerdotium;* Ergo etc.

§. 502. R. dist: antec: S. Petrus etc: sacerdotes metaphorice; conc:, vere, et realiter, n. antec:, et consm. S. Petrus eo sensu vocat omnes Christianos sacerdotes, quo vocat eos Reges: ait enim: *Regale Sacerdotium*; adeoque sicut non vere et realiter Reges, sed metaphorice tantum illos appellat; ita etiam metaphorice tantum sacerdotes eos esse dicit; qui scilicet mystica sacrificia Deo offerunt, hostias nempe laudum, et virtutum.

§. 503. *Objic:* II. Nulla est juris divini distinctio laicos inter et Clericos si Patres antiqui oppositum teneant; Atqui res ita se habet; ruit ergo exposita thesis. Prob: min. Tertullianus (Lib: de Cast. Cap. 7.), scribit » differentiam inter Ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo »; Ergo etc.

§. 504. R. ad argumentum. Sunt nonnulli, qui ut breviter ab hac difficultate se expediant, dicunt, laudatum Librum fuisse a Tertulliano compositum postquam ad Montanistarum partes transierat; sed perperam, ex Hieronymo enim (Lib: I. adv: Iovin.) habemus, laudatum Librum fuisse a Tertulliano conscriptum decem annis, antequam ad Montanistas deflecteret. Dicimus propterea, verba illa: *Ecclesiæ auctoritas* intelligenda esse de origine, et institutione; scilicet, Ecclesiam, a suo auctore Christo Domino, differentiam Clericos inter et laicos accepisse; vel potius de Episcoporum, aliorumque Clericorum electione, et consecratione. Prioribus namque Ecclesiae temporibus promonendi ad Episcopatum, aliumve ordinem, a plebe eligebantur, et ab Ecclesia per impositionem manuum præsbyterii consecrabantur.

§. 505. *Contra*. Atqui Tertullianus, laudato in loco, de differentia loquitur laicos inter, et Clericos; eamque nullam constituit de jure divino; Ergo n. r. Prob: subsm. Post citata superius verba, sequitur laudatus doctor: » Ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus et offers, et tingis, et sacerdos es tibi solus «. Si ergo in defectu Ecclesiasticorum consessus, quilibet est sacerdos, et tingere, et offerre potest, sequitur, inter laicos, et Clericos, nullum esse discrimen; Adeoque etc.

§. 506. R. Nullum ex hoc argumento incommodum thesim nostram pati, nemo non videbit, si parum ad Tertulliani tempora adverterit. Eum namque eo tempore, ob Idololatrarum Imperatorum persequutiones difficillimum esset haberi Episcoporum, aut Sacerdotum consessum, permissum ideo laicis erat, ut in suis privatis domibus, veluti conventum agerent, atque sacerdotalia quædam munia, quæ tamen ad veri sacerdotii naturam, atque essentiam minime spectarent, peragere, veluti baptizare, præces quasdam recitare, easque Deo offerre; invicem exhortari ad Fi-

dei constantiam, atque Legis divinæ observantiam, et cætera hujusmodi; quod mirum esse non debet, quandoquidem notum est, licere etiamnum laico, in casu necessitatis, baptismum administrare.

§. 507. *Contra.* Atqui laudato loco, testatur Tertullianus, omnes omnino fideles aeque esse sacerdotes realiter; Ergo n. r. Prob: subsm: Tertullianus, laudato in loco, meminit de oblatione; ait siquidem; *et offers*; Sed offerre sacrificium, proprium, et peculiare munus est sacerdotis; Ergo etc.

§. 508. R. dist: maj: Et ibi verbum illud *offers* significat consecrationem, n. maj:, aliquid aliud, conc: sed offerre etc., dist. min. Offerre, hoc est consecrare proprium etc., conc: min:, secus n. min: cum consa. Ut huic argumento plane satisfaciamus, advertendum est, verbum *offerre* ad tria significanda a Patribus antiquis, et ab ipsomet Tertulliano fuisse usurpatum. Primo itaque oblatio seu *offerre* erat actio, qua in veteri Ecclesia, qui jus habebant communicandi, per Diaconos panem et vinum offerebant, Secundo erat ipsa consecratio, qua panis, et vini substantia, in Christi corpus, et sanguinem convertitur. Tertio tandem erat oblatio, et traditio panis antea consecrati, fidelibus. Porro prioris generis oblatio fidelibus omnibus conveniebat; quatenus ipsi, persecutionis tempore, cum non possent publice in Ecclesia per Diaconos offerre, privatim in suis domibus, quibusdam adhibitis præcibus offerebant, quæ postea in indigentium personarum subsidium converterentur. Sed et tertii quoque generis oblationem laicis, temporibus illis convenisse, indubium est. Ipsi enim cum sacerdotes habere prohiberentur, ne diu sacra Eucharistia privarentur, quæ sane illis magno erat solatio, illam a Sacerdote, jam antea consecratam, secum deferebant in Cryptas, aut latebras, vel privatas domos, prout commodius erat, ipsisque benevertebat; ibique adhibitis præcibus, buas audire consueverant in publicis Synaxibus, aut

major natu reliquis distribuebat, aut suis manibus unusquisque accipiebat. Tertullianus ergo oblationem non accipit pro consecratione panis et vini, quæ propria est Sacerdotis vere dicti, sed de oblatione prout jam exposuimus. Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Episcopi jure divino sunt Presbyteris superiores.

§. 509. Probatur 1. ex Scripturis. Et 1. in Actibus Apostolorum (Act. XIV. v. 22.) habetur, Presbyterorum, non secus ac Diaconorum ordinationem ab Apostolis peractam fuisse, legitur enim: *Cum constituissent* (Paulus, et Barnabas) *per singulas Ecclesias Presbyteros*; et Paulus ad Titum (Cap. I. v. 5.) scribit: *Reliqui te Crete ut constituas Presbyteros.* Secundo: monet omnes Apostolus, ut Præpositis obediant, dicens (Heb: Cap: XIII. v. 17.): *obedite praepositis vestris, et subjacete eis*: et Episcopos alloquens admonet, ut proprio munere recte fungantur, dicens (Act: XX. 28.): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Tertio: idem Apostolus, Timotheum hortatur, dicens (Cap: V. v. 19.): *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* His positis, en argumentum. Illi sunt Presbyteris superiores, qui super Prebyteros exercent potestatem ordinis, eos ordinando; potestatem jurisdictionis illis imperando, et tandem potestatem judicialem illos judicando, et puniendo; Atqui ex allatis Sacræ Scripturæ testimoniis, Episcopi, qui locum Apostolorum tenent in Ecclesia, hanc triplicem potestatem super Presbyteros exercent; Ergo etc.

§. 510. Probatur 2. ex Concilio Tridentino, in quo (Sess. XXVI. Cap: IV.) ita legitur: *Sacrosan-*

cta Synodus declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spirito Saucto, regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Et iterum, ita definiendo, rem totam confecit (Can: VII.): *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi: vel eam, quam habent illis esse cum Presbyteris communem etc., anathema sit (1).*

Adversariorum argumentis occurritur.

§. 511. *Objic*: I. S. Petrus (Epist: I. Cap. V. v. 1.) Episcopos facit Presbyteris aequales; scribit enim: *Seniores, qui in vobis sunt obsecro consenior . . . . Pascite qui in vobis est gregem Dei*; Ergo falsa propositio.

§. 512. R. dist: antec; et seniorum nomine intelligit simplices Presbyteros, n., Episcopos, conc: antec:, et n. consm. Seniorum nomine laudato in loco, Episcopos, et non jam puros Presbyteros S. Petrum intelligere, ex eo vel manifestissime patet, quod ipse qui erat Episcopus Episcoporum, ex humilitate se parem aliis Episcopis dicat in studio pascendi Christi gregem, dicens se esse conseniorem. Quod si ita non esset, dicendum foret, aut S. Petrum non

(1) *Praeter Auct. laud.* (*pag. 232.*) *leg.* Berti *Lib. XXXVI. de Theol. Discip. Cap. XI.* Honorat. Tournely *Tomo X. pag. 171.*

fuisse Pontificem; immo nec Episcopum, sed simplicem presbyterum, aut simplices presbyteros fuisse quoque summos Pontifices; dixerat namque S. Petrus: *Seniores obsecro consenior*, quod utrumque falsissimum est.

§. 513. *Contra*. Atqui Sacris in Litteris per seniores intelliguntur simplices Presbyteri aequales Episcopis; restat ergo argm. Prob: subsm. *A Mileto Paulus mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiae, qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis* (Actor: XX. v. 28.), *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Atqui hi majores natu erant puri Presbyteri; Ergo si hos posuerat Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, certe erant aequales Episcopis; Adeoque etc.

§. 514. R. dist: antec: et per natu majores in Ecclesia intelligit Paulus Presbyteros simplices; n. antec:, Episcopos vere dictos, conc:; Ergo etc: n. utramque consam. Cum ex laudato textu clarissime pateat, majores natu Ephesiorum a Spiritu Sancto fuisse positos Episcopos ad Ecclesiam Dei regendam, non video cur in mentem venerit adversariis ita laudata S. Pauli verba interpretare, quasi vellet illis Apostolus innuere, majores natu positos fuisse loco Apostolorum, aut quasi essent potestate pares Apostolis in Ecclesiae gubernio. Dato enim quod praedicti natu majores, tunc Episcopi non fuissent, Apostolus, auctoritate qua fungebatur, sicut alias fecerat, eos Episcopos consecrasset, quin reliquisset puris presbyteris Ecclesiae regimen. Iam vero hoc non fecit, et vocat illos majores natu, jam a Spiritu Sancto positos regere Ecclesiam Dei; Ergo etc.

§. 515. *Contra*. Atqui laudato in loco per majores natu intelligit Paulus, non veros Episcopos, sed Presbyteros simplices, quos pares Episcopis facit; Ergo n. r. Prob: subm. Ephesus erat una Civitas, et

in ea Civitate jam erat Episcopus Timotheus, qui tunc ibi non morabatur, sed erat cum ipso Paulo; Quomodo ergo majores natu Ecclesiae Ephesinae erant Episcopi? erant igitur simplices sacerdotes; Adeoque etc.

§. 516. R. ad argum. Paulus peragrando Regiones Ephesiorum, non solum Ephesi Civitate Metropolitana constituit Episcopum suum discipulum Timotheum, sed et in alias quoque Civitates illius Provinciæ Episcopos ordinavit, ita tamen, ut Metropolitanæ Ephesinae Ecclesiae essent suffraganei. Cum ergo esset ipse ab illis partibus discessurus, nec esset eos amplius visurus, volens eos pro ultima vice videre, alloqui, et salutaria monita pro recto Ecclesiae gubernio eis praebere, jussit omnes ad se venire; Ita factum explicat S. Irenaeus (Lib: III. C. 14.) dicens. « Paulus » in Mileto convocatis Episcopis, et presbyteris qui » erant ab Epheso, et a reliquis proximis Civitatibus » multa testificans eis adjecit etc. » Adeoque etc.

§. 517. *Objic.* II. Sacris in Litteris non raro Episcopi cum simplicibus presbyteris confunduntur; ergo aequales sunt inter se; Adeoque ruit exposita Propositio. Prob: antec: Apostolus ad Philippenses scribens (Cap: I. v. 1.), ait: *Paulus . . . . omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, et Diaconibus.* Quibus positis, en argumentum. Paulus nullam fecit mentionem de puris presbyteris; Ergo aut dicendum Philippi nullos tunc esse sacerdotes simplices, omnesque esse Episcopos vere dictos, aut Apostolum confundere simul Episcopos et simplices presbyteros; Atqui primum esse nequit; Ergo et secundum; Adeoque etc.

§. 518. R. ad argm. In Civitate Philippi erant Episcopi proprie dicti, et erant pariter simplices sacerdotes, sicuti erant Diaconi, et Subdiaconi. Apostolus ergo scribens illis, illosque salutans, salutatione compendiosa usus fuit, et salutans Episcopos, qui erant nobilior pars Sacerdotii, inclusit etiam simplices sacerdotes; sicuti solos Diaconos salutans, sa-

latavit quoque Subdiaconos, aliosque inferioris ordinis Clericos: non ergo illis verbis confundere voluit Episcopos cum puris Presbyteris, eosque pares facere inter se.

§. 519. *Contra.* Atqui laudatis verbis, Apostolus, simplices Sacerdotes vocat Episcopos, et Episcopos, et simplices sacerdotes aequales facit inter se; Ergo n. r. Prob: subm. In Civitate Philippi, quando talia scripsit Paulus, nulli erant Episcopi, et ipse Epaphroditus illius Civitatis Episcopus, tunc cum eodem Paulo Romae vincto morabatur; quinimmo per manus ipsius Epistola laudata Pauli ad Philippenses delata fuit; Erant ergo solum simplices Sacerdotes; Adeoque laudatis etc.

§. 520. R. dist: antec: In Civitate etc: Episcopi peculiaris Philippi Civitatis, conc:, Episcopi suffraganei Metropolitanae Ecclesiae Philippi, n. antec: cum utraque consa. Apostolus scribens ad Philippenses, non scripsit ad solum Clerum illius pecularis Civitatis, sed ad coetum Pastorum, aliorumque, Ecclesiam in Philippensium ditione constituentium. Et quoniam in illa Ecclesia non erat Episcopus solus Epaphroditus ipsius Civitatis Metropolitanae Philippi Episcopus, qui etiam tunc aberat, sed et alii quoque aliarum Civitatum finitimarum, optime ad illos Epistolam suam direxit. Falsum igitur omnino est, quod loco laudato nobis opponunt adversarii.

§. 521. *Contra.* Atqui Paulus, simplices sacerdoter Episcopis facit aequales; Ergo stat argm. Prob: subsm. Apostolus erat verus Episcopus; ad ipsum ergo spectabat Sacerdotes, atque Episcopos ordinare; Atqui ipse testatur (I. ad Tim: IV. v. 14.) se ordinasse Timotheum per impositionem manuum presbyterii; Ergo etc.

§. 252. R. Cum laudato in loco loquatur Apostolus de ordinatione Timothei, non in simplicem sacerdotem, sed in Episcopum, recte ait, ipsum fuisse ordinatum *per impositionem manuum prosbyerii*, hoc est per manuum impositionem coetus presbyterorum,

non quidem simplicium sacerdotum, sed Episcoporum. Nam Episcopus, ex Apostolica traditione, ordinari debet a tribus, ut minimum Episcopis. Ita Concil: Carthag: IV., et Patres apud Expositores in hunc locum. Non vult ergo Apostolus, laudatis verbis, innuere, per impositionem manuum simplicium sacerdotum se ordinasse Timotheum, sicque ostendere Episcopis pares esse simplices sacerdotes, uti praetendunt adversarii.

PROPOSITIO III.

Supremis Ecclesiæ Pastoribus jus a Deo concessum est praecipiendi, et ferendi Leges obligantes in conscientia.

§. 523. Prob. Nam ipsis a Deo potestas facta fuit pascendi fideles, atque Ecclesiam regendi: ait namque Christus Petro (Joan: ultimo): *Pasce oves meas*; et Petrus (I. Petri Cap: V. v. 2.) aliis Prælatis, dixit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Paulus quoque inquit (Act: II. v. 24.): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; Atqui sine legibus, et præceptis neque possent Pastores oves pascere, neque Ecclesiam regere; ergo etc. Sane præcipitur ovibus ut Pastoris vocem audiant sub anathematis pœna: *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus* (Matt: XVIII: v. 17.); præscribitur a Christo, ut (Ibid. XXIII. v. 1.) sedentibus super Cathedram Moysi honor habeatur faciendo, et servando quæcumque illi dixerint. Hæc autem omnia quomodo stare possent si summis Ecclesiæ Pastoribus a Deo jus factum non esset ferendi leges obligantes in conscientia? Deinde, uti habetur in Actibus Apostolorum (Act: XV. v. 28.), Præsules simul Jerosolimis congregati, dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra vobis imponere oneris*; Potestatem ergo habebant, illis aliquid oneris

ultra imponendi. De facto plura ab Apostolis praecepta sunt fidelibus; præ cæteris Paulus statuit (I. Tom: III. v. 2.), ut bigamus non fieret Episcopus: Ut mulieres orarent velato capite propter Angelos (I. Cor: XI. v. 5. 10.); ut vidua eligeretur non minus sexaginta annorum (I. Tim: V. v. 9.), etc. Atque Corinthios laudat, quod præcepta ejus tenerent (I. Cor XI. 2.). Immo in Actibus Apostolorum (Act: XV. v. 41.) legitur, quod *perambulabat Syriam, et Ciliciam confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum.* Ergo etc. Tandem laudatus Apostolus, ait (Rom: XIII. v. 1.) omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse; idque non propter iram, sed propter conscientiam; quia omnis potestas est a Deo; Atqui Supremi Ecclesiæ Pastores super fideles a Deo obtinent potestatem; Ergo fideles debent eis propter conscientiam obtemperare; adeoque etc.

Argumentis oppositis occurritur.

§. 524. *Objic*: I. In Deuteronomio legitur (Cap: IV. v. 2.): *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ab eo: custodite mandata Domini vestri, quæ ego præcipio vobis.* Ergo si in Veteri Testamento, quod sane imperfectum erat, vetitum fuit Legi divinæ aliquid addere, multo magis vetitum est in Testamento Novo aliquid addere Legi Iesu Christi; Adeoque etc.

§. 525. R. admitt: textum, et dist: cons: Vetitum erat aliquid addere contrarium Legi, et mandatis a Deo datis, conc:, nihil prorsus addere, quod posset inservire ad majorem Legis divinæ interpretationem, atque observantiam, nego consm, et paritatem. Laudato in loco, ut alias (§. 245.) docuimus, non fuit a Deo vetitum Israelitis ad Legem Dei addere quidquam quod contrarium esset ipsi Legi, non vero quod ad majorem legis observantiam, datis circumstantiis locorum, temporum, et personarum con-

ducere poterat; Ceterum, quod dictum est de Veteri Testamento, non valet de Novo, in quo Iesus Christus, dando Apostolis potestatem pascendi suas oves, atque gubernandi suam Ecclesiam, potestatem quoque dedit eis ferendi eas Leges, quæ ad rectum gubernium necessariæ viderentur.

§. 526. *Contra*. Atqui nullas prorsus condere leges a Christo Ecclesiæ Prælatis concessum est; Ergo n. r. Prob: subsm. Christus mittens suos discipulos ad prædicandum Evangelium omnibus gentibus, et populis, eis imposuit, ut nihil aliud docerent, atque observandum imponerent, quam quod ab ipso mandatum acceperant, ait siquidem (Matth: ult:): *Docentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis*; Ergo etc.

§. 527. R. Christus Dominus, laudatis verbis, non prohibuit Apostolos jubere Leges pro bono regimine Ecclesiæ, sed ut populos docerent suæ divinæ legis obseruantiam, si vellent salutem æternam consequi. Si namque jusserat, reos Ecclesiæ denuntiari, fidelesque omnes Ecclesiam audire, dedit utique Ecclesiæ, ejusque Prælatis facultatem Leges condendi.

§. 528. *Contra*. Atqui nullam omnino facultatem Leges condendi dedit Christus Prælatis Ecclesiæ; Ergo a capite argumentum. Prob subsm. Si Christus hanc facultatem dedisset, plures essent in Ecclesiam Legum latores; Atqui ex Iacobo Apostolo (Epist: Cap: IV. v. 12.): *Unus est legislator, et Judex dominus noster*. Ergo etc.

§. 529. R. dist: maj: Plures etc: secundarii, atque primo legislatori subordinati, conc:, secus, n. maj:; et dist: min: Unus etc: primarius, cæteri secundarii, et subordinati, conc:, secus, n. min: cum consa. Sicuti unus est dominus, et Ecclesiæ fundator ita unus quoque est principalis, et primarius in Ecclesia legislator; At quoniam idem Christus dominus dignatus est homines constituere, qui nomine suo, et tanquam ipsius Ministri Ecclesiam regerent, ita et legumlatores quoque eos facit, licet secundarios, ut in datis circumstantiis, quæ pro bono regimine agenda

essent, statuerent, atque fidelibus observanda proponerent.

§. 530. *Objic:* II. Apostolus ad Galatas scribens (Cap: IV. et V. v. 1.) dicit nos esse liberos, et non amplius sub jugo; Ergo falsa propositio.

§. 531. R. Laudato in loco, atque in aliis, si qui sunt ejusmodi, non vult Apostolus, nos Christianos liberos esse ab observantia legum humanarum; ipse namque ad Hebraeos scribens, clare jusserat (Cap: XIII. v. 17.), dicens: *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis*; sed tantum, nos per Iesum Christum liberos effectos fuisse a servitute peccati, et Diaboli; neque amplius esse sub jugo legis Mosaicae, sed sub lege libertatis, qua donati sumus a Christo.

§. 532. *Contra.* Atqui si laudato in loco Paulus asserit, nos solutos esse a lege Mosaica, multo magis vult nos liberos esse a legibus Prælatorum; Ergo n. r. Prob: subsm. Nulla certe foret libertas a lege Mosaica nobis a Christo comparata, si gravaremur jugo legum Praelatorum Ecclesiæ; Ergo etc.

§. 533. R. Si quod hic pretendunt adversarii verum esset, oporteret dicere, Christum Dominum liberando homines a servitute, et jugo legis Mosaicæ, voluisse suos sequaces, vivere sine lege; quod iniquissimum est dicere. Non ergo nulla est libertas a lege Mosaica, etiamsi legibus Prælatorum subjiciamur. Nam uti docent Doctores, cum Lex vetus cogeret homines metu pœnae, non amore justitiae Deo, et legi obsequi, et multitudine, et gravitate praeceptorum caeremonialium suorum, Iudaeos oneraretur, atque veluti opprimeret, libertate, qua Christus nos liberavit, efficitur ut amore, et spiritu ad Deum ducamur, et ad legem servandam, doceamurque, Deum in spiritu, et veritate colere, quod certe utilissimum nobis est, atque proficuum.

§. 534. *Contra.* Atqui nulla esset libertas a jugo legis Mosaicae in Nova lege, si Praelati jus haberent condendi leges obligantes in conscientia; Ergo stat argumentum. Prob: subsm. Ideo dicimur liberati a

jugo et servitute Veteris legis, quia lex Vetus multitudine praeceptorum, et caeremoniarum suo pondere opprimebat, lex autem Nova paucissimis constat praeceptis, iique charitate continentur; Atqui si Ecclesiae Praelati jus haberent condendi leges, eae multiplicarentur in infinitum, et plus opprimernt fideles, quam lex Vetus opprimebat Iudaeos; Ergo nulla etc.

§. 535. R. Esto a Praelatis Ecclesiae variis in circumstantiis nonnullae leges latae sint, atque in dies ferantur, non ideo dicendum, eas multiplicari in infinitum, ut fideles earum pondere, pejus ac olim Iudaei, opprimantur. Nam leges hujusmodi, vel sunt simplices admonitiones, vel media ad Christianam legem servandam, adeoque leges tantum indirecte, et quae non obligant sub culpa. Quod si leges sunt, quae ad culpam obligant, eae vel sunt universales, et omnes fideles respicientes, quales sunt vulgo dicta Ecclesiae Praecepta, et haec ultraquamquod paucissimae sunt, potius dici possunt determinationes juris divini, quam leges positivae penitus novae, nec tamen obligant nisi mitissime, cum ab eis excusentur plures, vel ratione status, vel ætatis, vel occupationum, vel alterius circumstantiae; vel sunt particulares, et istae non omnes homines obligant, et eos quos respiciunt, non obligant, nisi eos, qui volunt libere illis subjici; uti sunt leges omnes de Clericis tam saecularibus, quam Regularibus. Caeterum quantumcumque in Nova lege Praelatorum leges multiplicentur, nullum pondus homini vere Catholico adjiciunt, quippe qui, gratia Dei suffulto, et amore Dei incenso, ipsa saeva, et immania facilia, et prope nulla videntur, uti aiebat S. Augustinus (Serm: IX. de Verb. Dom: n. 70.): » Omnia saeva, et immania, prorsus facilia, » et prope nulla efficit amor «.

§. 536. *Objic*: III. variis mediis contra alteram Propositionis partem.

Ac I. Peccatum ex S. Augustino, aliisque com-

muniter, est divinae legis trangressio; igitur transgressio legis Praelatorum dici nequit peccatum.

§. 537. II. Solus Deus est conscientiae scrutator, atque dominus, solus ergo ipse, et non homo potest obligare in conscientia.

§. 538. III. Praelati Ecclesiae non habent potestatem super Caelum, et Inferos, non possunt ergo illic mittere subditos per sua leges in conscientia obligantes:

§. 539. IV. tandem Apostolus ad Corinthios scribens (I. Cap: VII. v. 35.) ait: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum;* Ergo etc.

§. 540. R. ad singula: et ad I. Transgressio legis Praelatorum etiam dicitur, et est transgressio legis divinae; 1. quia lex Praelatorum fundatur in jure divino; 2. quia Praesules sunt dati Iudices a Deo quorum judicio stare debent fideles.

§. 541. Ad II. Ad aliquem in conscientia obligandum non est necesse videre, sed sufficit habere potestatem supra conscientiam; quam cum Ecclesiae Prælati habeant a Christo, recte leges condere possunt obligantes in conscientia.

§. 542. Ad III. Non sunt Praelati qui suos subditos mittunt sive in Caelum, sive ad Inferos; sed Deus ipse est qui eos mittit; in Caelo, quia oves obedientes voces Pastorum audierunt, et Leges servaverunt; Ad inferos vero ob inobservantiam legum Praelatorum, quam Deus inobservantiam legum Prælatorum, existimat inobservantiem Legis suae, juxta quod dixerat (Lucae X. v. 16.): *qui vos audit me audit: et qui vos spernit, me spernit.*

§. 543. Ad IV. tandem. Laudato in loco asserit Paulus, fideles liberos esse a servitute hominum, conconjugum nempe infidelium, de quibus illic agit; vel a servitute hominum propter homines, alias non dixisset (Ephes: VI. v. 5.): *Servi obedite dominis carnalibus.* Atque his sit

TOMI I. FINIS

TOMI I. INDEX

PROLEGOMENA

TRACTATUS I.

A. S. E. Rev.^ma

MONSIGNOR COLANGELO PRESIDENTE DELLA GIUNTA DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

ECCELLENZA,

Lo Stampatore Giovanni Rusconi desiderando di stampare l'opera intitolata: *F. Josephi Archangeli a Fracta Majori Ordinis Minorum Observantium etc. Sacræ Theologiæ Dogmatico--Scholasticæ Cursus, plana faciliqùe Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum*; supplica quindi l'E. V. Rev. che si degni destinare un Revisore alla medesima, e l'avrà: *Ut Deus.*

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

A dì 29. *Dicembre* 1830.

Il Regio Revisore signor D. Andrea Ferrigni avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, e di osservare se siavi cosa contra la Religione, ed i dritti della Sovranità.

EXCELLENTISSIME PRÆSUL.

Institutiones Theologiæ Dogmatico-Scolasticæ a doctissimo viro F. Iosepho Archangelo a Fracta Majori Ordinis Minorum Observantium affabre elucubratas jussu tuo, Amplissime Præsul, summa cum voluptate perlegi. In his veritatum profunditatem cum perspicuitate dicendi, et accuratissima methodo summe demiratus, ut Ecclesiasticae juventuti maximo fore emolumento arbitrer. Itaque cum in iis cuncta recto

stent talo, nihilque sit quod aut Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adversetur; nec non et Regia jura sarta tectaque sint; ut typis committi possint, ex sententia rescribendum puto.

Datum Calendis Ianuariis An. Dni. MDCCCXXXI.

Devotissimus et Addictissimus

ANDREA FERRIGNI-PISONE

Regius Librorum Censor

Napoli 28. *Febbrajo* 1831.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBLICA ISTRUZIONE.

Vista la dimanda del Tipografo Giovanni Rusconi, con la quale chiede di voler stampare l'opera intitolata: *F. Joseph Archangeli a Fracta-Majori Ordinis Minorum Observantium etc. Sacrae Theologiae Dogmatico-Scholasticæ Cursus plana facilique Methodo concinnatus, ad usum Scholarum, omniumque Studentium commodum*; supplica quindi l'E. V. Rev. che si degni destinare un Revisore alla medesima, e l'avrà: *Ut Deus.*

Visto il favorevole parere del Regio Revisore signor D. Andrea Ferrigni;

Si permette, che l'indicata Opera si stampi, però non si qubblichi sensa un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore, non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto, uniforme la impressione all'Originale approvato.

IL PRESIDENTE

M. COLANGELO

Pel Segretario Generale e membro della Giunta

L'aggiunto

Antonio Coppola

ERRATA CORRECTA.

Pag. IV. *v.* 3. *incumbunt*, lege, *dant operam*, *Ibid* v. 11. *stuadia*, lege, *studia*. *Pag.* v. v. 24. et parte, *lege*, ex parte. *Pag.* VI. *v.* 18. *cujs*, lege, *cujus*. *Ibid.* v. 30. *sum*, lege, *sunt*. Pag. IX. v. 14. *sepius*, lege, *saepius*, et ita semper. *Ibid.* v. 17. mediocis, lege, *mediocris*. *Pag.* 16. v. 18. Teologia, *lege*, Theologia. *Ibid.* v. 16. Palagiani, *lege*, Pelagiani. *Pag.* 21. *v.* 15. aegestate, *lege*, egestate. *Pag.* 22. *v.* 25. faelicitatem, *lege*, felicitatem. *Ibid.* v. 28. aiflictiomem, *lege*, afflictionem. *Pag.* 24. v. 16. his postis, *lege*, his positis. *Pag.* 29. v. 10. conc: ans, *lege*, conc: ans; secus, n. ans. *Ibid.* v. 19. nobuisse, *lege*, noluisse. *Pag.* 35. v. 21. Thobiam, *lege*, Tobiam. *Pag.* 38. v. 29. stabilendam, *lege*, stabiliendam. *Pag.* 40. v. ult. nequat, *lege*, nequeat. *Pag.* 42. v. 17. quandum, *lege*, quantum. *Pag.* 47. v. 21. trasactis, *lege*, transactis. *Pag.* 51. v. 23. edeoque, *lege*, adeoque. *Ibid.* v. 30. omnes, *lege*, omnem. *Pag.* 53. v. 5. incorata, *lege*, increata. *Ibid.* v. 28. Histories, *lege*, Historicis. *Pag.* 54. v. 20. conseq. *lege*, consa. *Pag.* 58. v. 22. supertitionem, *lege*, superstitionem. *Pag.* 60. v. 3. post, *lege*, potest. *Pag.* 61. v. 6. Bethelem, *lege*, Bethlehem. *Ibid.* v. ult. emplatur, *lege*, contemplatur. *Pag.* 64. v. 10. consensientes, *lege*, consentientes. *Pag.* 65. v. 16. Societauum, *lege*, Societatuum. *Ibid.* v. ult. ram, *lege*, rarum. *Pag.* 66. v. ult. *sib*, lege, *sibi*. *Pag.* 67. v. 27. resqectu, *lege*, respectu. *Pag.* 68. v. 11. qui, *lege*, quo. *Pag.* 69. v. 17. abbundantiam, *lege*, abundantiam. *Ibid.* v. 31. Assisensis, *lege*, Assisiensis. *Pag.* 70 v. 27. boc. *lege*, hoc. *Pag.* 74. v. 33. §. 129. *lege*, §. 119. *Pag.* 76. v. ult. Apocalsypsis, *lege*, Apocalypsis. *Pag.* 77. v. 2. §. 122. *lege*, §. 121. *Ibid.* v. 6. (§. 121). *lege*, (§. 120). *Pag.* 78. v. 17. ream, *lege*, rea. *Pag.* 79. v. 4. Virgilis, *lege*, Virgilii. *Ibid.* v. 15. Pentareuchus, *lege*, Pentateuchus. *Ibid.* v. 16. *Auctoram*, lege, *Auctorum*. *Pag.* 83. v. 12. *eraet*, lege, *erat*. *Ibid.* v. 18. Palaestinam, *lege*, Palestinam; *Ibid.* v. 19 sempore, *lege*, tempore. *Pag.* 85. v. 20. itque, *lege*, itaque. *Pag.* 86. v. 18. *ed*, lege, *ad*. *Ibid.* v. 24. Ueterus, *lege*, Veteris. *Pag.* 88. v. 30. veraees, *lege*, veraces. *Pag.* 89. v. 5. utriusquae, *lege*, utriusque. *Pag.* 90. v. 2. le, *lege*, de. *Ibid.* v. 5. triginti, *lege*, triginta. *Ibid.* v. 30. prut, *lege*, pront. *Pag.* 91. v. 9. sed, *lege*, se. *Ibid.* v. 20. annos, *lege*, annis. *Pag.* 94. v. 18. fornificationem,

lege, fornicationem; *ita etiam*. v. 20. *Ibid.* v. 27. destinctine, *lege*, distinctione. *Pag.* 99. v. 16. sunt, *lege*, suum. *Pag.* 120. v. 3. scridendo, *lege*, scribendo. *Ibid.* v. 23. inspiationem, *lege*, inspirationem. *Pag.* 103. v. 4. restrigunt, *lege*, restringunt. *Pag.* 104. v. 36. scridtura, *lege*, scripturs. *Ibid.* ult. madnus, *lege*, magnus. *Pag.* 108. v. 21. *tiam*, lege, *tia*. *Pag.* 109. v. 1. eundem, *lege*, eumdem. *Ibid.* v. 30. namquam, *lege*, namque. *Pag.* 112. v. 32. esripti, *lege*, scripti. *Pag.* 113 v. 5. datus, *lege*, datum. *Pag.* 116. v. 31. comprhendatur, *lege*, comprehendatur. *Pag.* 118. v. 5. impudentissime, *lege*, impudentissimae. *Ibid.* v. 25, insculpa, *lege*, insculpta. *Pag.* 120. v. 8. illee, *lege*, illae. *Ibid.* v. 9. *de ne*, lege, *de me*. *Ibid.* v. 11. Iudicew, n. antec., *lege*, judicem, n. antec. *Pag.* 121. v. 11. susciperunt, *lege*, susciperent. *Pag.* 122. v. 32. *scripturaee*, lege, *scripturae*. *Pag.* 125. v. 22. commendat, *lege*, commendat. *Pag.* 126. v. 9. acerime, *lege*, acerrime. *Pag.* 127 v. 13. discrepatia, *lege*, discrepantia. *Ibid.* v. 15. Eutychianos, *lege*, Eutichianos. *Pag.* 128. v. 15. Tradicto, *lege*, Traditio. *Pag.* 129. v. 9. foemallis, *lege*, foemellis. *Pag.* 130. v. 10. *sanovum*, lege, *sanorum*. *Pag.* 136. v. 13. configiendum, *lege*, confugiendum. *Pag.* 142. v. 5. strictae, *lege*, stricte. *Pag.* 143. v. hereticorum, *lege*, haereticorum. *Pag.* 147. v. 3. aucthoritas, *lege*, auctoritas, *ita semper*. *Ibid.* v. 25. promititur, *lege*, promittitur. *Pag.* 150. v. 8. distintivum, lege distinctivum. *Ibid.* v. 16. eonstituunt, *lege*, constituunt. *Pag.* 151. v. 21. Spirito, *lege*, Spiritu. *Pag.* 153. v. 15. *cenfirmante*, lege, *confirmante*. *Pag.* 158. v. 24. ab, *lege*, ob. *Pag.* 159 v. 8. usqedum, *lege*, usquedum. *Ibid.* v. 14. Cbisti, *lege*, Christi. *Ibid.* v. 22. ctinate, *lege*, ctitate. *Pag.* 160. v. 33. proxus, *lege*, prorsus. *Pag.* 161. v. 9. mecedem, *lege*, mercedem. *Ibid.* v. 35. coscientiae, *lege*, conscientiae. *Pag.* 163. v. 30. aextimandis, *lege*, aestimandis. *Pag.* 165. v. 12. Eccleastica, *lege*, Ecclesiastica. *Pag.* 166. v: 4. jampidem, *lege*, jampridem. *Ibid.* v. 8. illrum, *lege*, illarum. *Pag.* 170. v. 14. mioris, *lege*, minoris. *Pag.* 174. v. 18. Lutehrus, *lege*, Lutherus. *Pag.* 176. v. ult. ex qui, *lege* ex vi. *Pag.* 180. v. 18. Indicii, *lege*, judicii. *Pag.* 186. v. 15 misteriuuf, *lege*, mysterium. *Pag.* 190. v. 26. referondas, *lege*, referendas. *Pag.* 192. v. 24. neccessarium, *lege*, necessarium. *Pag.* 190. v. 16. Ethetodoxi, *lege*, Heterodoxi. *Pag.* 199. v. 5. maumehismum, *lege*, mahumetismum. *Ibid.* v. 7. *Testamentam*, lege,

Testamentum. ***Pag.*** 200. v. 21. qood, *lege*, quod. *Ibid.* v. 23. eus, *lege*, eos. *Ibid.* v. 35. Hlslarius, *lege*, Hilarius. ***Pag.*** 203. v. 15. prumebat, *lege*, premebat. *Ibid.* v. 29. Haeeretici, *lege*, Haeretici. ***Pag.*** 204. v. 7. tranfusa, *lege*, transfusa. ***Pag.*** 206. v. 12. consum, *lege*, consam. *Ibid.* v. 22. lacymis, *lege*, lacrymis. ***Pag.*** 202. v. 25. coherentin, *lege*, cohaerens. ***Pag.*** 208. v. 2. fecitis, *lege*, facitis. ***Pag.*** 212. v. 31. Aaerem, *lege*, Aerem. ***Pag.*** 216. v. 11. nom, *lege*, non. ***Pag.*** 220. v. 33. ignoranturi, *lege*, ignorentur. ***Pag.*** 122. v. 17. gloriose, *lege*, gloriosa. ***Pag.*** 229. v. 4. obijcientes, *lege*, *semper*, objicientes. ***Pag.*** 230 v. 33. interpretenda, *lege*, interpretande. ***Pag.*** 233. v. 1. Valdenses, *lege*, Waldenses. *Ibid.* v. 22. *vocutur*, lege, *vocatur*. ***Pag.*** 235. v. 19. *Accedentes*, lege, *accedentes*. ***Pag.*** 236. v. 15. promonendi, *lege*, promovendi. *Ibid.* v. nlt. buas, *lege*, quas. ***Pag.*** 238. v. 15. *tuos* lege, *tuas*. ***Pag.*** 241. v. 34. Ierosolimis, *lege*, Ierosolymis. ***Pag.*** 244. v. 34. non fuit, *dele* non. ***Pag.*** 245. sernantiam, *lege*, servantiam. *Ibid.* v. 24. Ecclesiam, *lege*, Ecclesia. ***Pag.*** 246. v. 30, oneraretur, *lege*, oneraret. ***Pag.*** 247. v. 6. opprimernt, *lege*, opprimerent. ***Pag.*** 248. v. 1. tran--, trans--. *Ibid.* v. 25. in Caelo *lege*, in Coelum. ***Pag.*** 250. v. 28. ***Romano Catholica***, lege, *Romanon*, *Catholica*. ***Pag.*** 233, v. 16. ***Santa***, lege, ***Sancta***. *In appob:* ***Pag.*** 2. v. 24, qubblichi senza, *lege*, pubblichi senza.